

Dissertatio et observationes de salis ammoniaci praeclaro ad febres intermittentes usu, una cum epistola praefixa ad Regiam Societatem Londinensem missae [sic] / [Wijer Willem Muys].

Contributors

Muys, Wijer Willem, 1682-1744.
Royal Society (Great Britain)

Publication/Creation

Franequerae : Franciscus Halma, 1716.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a8phv8xv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

WYERI GULIELMI MUYS

Med. Doct. & hujus atque Math. Prof. Ord.
nec non Reg. Ber. Scient. Soc. Memb.

DISSERTATIO & OBSERVATIONES

DE

SALIS AMMONIACI

PRÆCLARO AD

FEBRES INTERMITTENTES

USU,

una cum

EPISTOLA

præfixa ad

REGIAM

SOCIETATEM LONDINENSEM

missæ.



FRANEQUERÆ,

Excudit FRANCISCUS HALMA, Illustr. Frisicæ
Ordd. atque Eorund. Acad. Typogr. Ordinar. MDCCXVI.

WYERI GULHEIMMUY

1 Med. Doct. & ...
rec non leg. ...

DISSERTATIO & OBSERVATIONES

D.E.

SALLS AMMONIACI

FRANCISCO AD

FEBRES INTERMITTENTES

U.S.U.

1843

15729(2)

EPISTOLA



FRANCISCO

FRANCISCO

SOCIETATEM BOGDINENSEM

1843



FRANCISCO

FRANCISCO HALLMA, ...
Gnd. sup. Found. ...



EPISTOLA

ad

REGIAM

SOCIETATEM LONDINENSEM

data.



WYERUS GULIELMUS MUYS

REGIÆ

Societati Londinensi S. D.



Uum ad latitantem quorundam Organorum Corpus Animale constituentium fabricam, & reconditam Latium illa pervagantium indolem, observationibus & experimentis indagandam jam ab annis aliquot acrius incumberem, atque hujusce laboris majorem in dies singulos fructum voluptatemque caperem; ad hanc & alia accessit causa, quæ me movit, ut non tantum de hoc instituto nihil plane remitterem, sed & in eo majore etiam, quam ante, studio per-

A 2

siste.

sisterem ; novi nimirum Muneris ratio , ad quod eâ , quâ quidem cuperem , dignitate tuendum ac sustinendum hoc studiorum genus maximopere pertinere sensi. Hæc autem cum hæctenus privato potissimum usui servirent , nisi quod paucula tantum Doctissimis quibusdam Viris impertiveram , quibuscum nempe mihi literarum commercium intercederet ; ante biennium evenit , ut nonnulla a me observata circa abstrusam *Fibrarum muscularium* structuram , quæ Discipulis tunc temporis demonstraveram , ab illis forte cum aliis communicata fuerint , atque ita tandem in manus inciderint illorum Hominum eruditorum , qui Gallico sermone elegans illud , quod *Hagæ Comitum* prodit , *Literatorum Diarium* conscribunt. Inde cum ab his in eo statim Opere vulgata essent , etiam Vobis , qui præclaro & nunquam satis laudando consilio non ad Vestra solum , quantumvis egregia , sed & ad omnia totius Europæ experimenta oculos eruditos circumferre , atque ex iis utilia & novam Scientiis naturalibus lucem allatura seligere soletis , hæc nostra alicujus momenti visa sunt , adeo quidem , ut ea splendidior loco dignati hinc in *Acta* Vestra jam diu Orbis Terræ judicio ac testimonio quam maxime comprobata transfuleritis. Cum itaque hæc tenuia laborum nostrorum specimina , quæ jam quibusdam aliis Orbis eruditi Luminibus haud displicere noveram , pariter a tam augusto Philosophantium Cœtu non improbari cernerem , a cæteris etiam observationibus cum Viris Doctis interdum communicandis minus alienus esse cœpi ; id præ-

præstantius fore ratus, quam si per plures & manus & linguas transeundo hic illic iis aliquid forte de nativa facie detereretur. Hac cum essem mente, in cumulum accessit, quod ex iis, queis *Illustrissimus & Excellentissimus Baro* . . . me honoravit, literis ad hoc propositum perficiendum Vestra me humanitate & benevola de nostris conatibus sententia allectum atque invitatum intellexerim. Inde ergo certior factus, Vobis, si quas transmitterem Observationes, gratas & acceptas fore, deesse nolui, quin hoc non solum studiosissime diligentissimeque curarem, sed & hac occasione summam meam observantiam & obsequium in splendidissimam vestram *Societatem* tot tantisque erga Republicam literariam meritis & per tantam annorum seriem continuatis illustrem testificarer. Quanto majore autem animi veneratione eximiam vestram eruditionem, sapientiam, atque excellentem in omni *experimentalis Philosophiæ* parte peritiam prosequor, quam omnes omnium Gentium Doctissimi Viri suspicere & admirari non desinunt, tanto magis etiam mihi honori duco, a Vobis haud penitus indignum censei, qui & meam quamvis tenuem operam in hujus Scientiæ, aut quæ ejus partem constituit, Artis Medicæ a tot præclaris inter Vos Viris tantopere excultæ incrementum conferam.

Cum ergo Observata Anatomica, quæ Vobis jam ab initio dicaveram, re iterum perpensa, ante, quam ea perscriberem, novis experimentis aucta & instructa mallet, atque aspera tunc temporis hyems, ne hoc negotium exequi possem, impediret; hinc ad

ea, quæ in Praxi Medica ad majorem ejus perfectionem utilia atque accommodata notaveram, animum converti; & quidem eo magis, quia hæc Scientia, quo majorem ac magis propinquum, quam cæteræ, ad tuendam valetudinem, maximum Mortalium in hac vita bonum, habet usum, eo etiam præstantiora & diligentius exquirenda videntur illa, quæ ad hanc amplificandam ac promovendam faciunt, experimenta.

Jam dudum autem præclaræ huic Scientiæ nihil mihi æque, ac hæc duo, deesse visum; adcurata nimirum Medicaminum usitatorum & præsertim simplicium notitia, tam respectu virium, queis polent, quam dosis eorundem cum minimæ, quæ ad usum interdum sufficere, tum maximæ, quæ sine noxa, cum res postulat, adhiberi potest; & deinde ejusmodi Remediorum cognitio, quæ Morbo alicui depellendo paria spem tam Medici, quam Ægroti, rarissime fallunt: quorum alterum ad Praxin Medicam nova accessione augendam & locupletandam, alterum ad eandem illis, quibus nunc habemus, limitibus circumscriptam multo magis perficiendam pertinet. Medicaminum enim tanta virium cum magnitudine tum constantia valentium quam mira sit paucitas, Vos equidem minime fugere existimo; horum ergo numerum uti minimum, ita defectum omnino maximum reputo. Cæterorum autem, quæ jam sunt in communem atque vulgarem usum recepta, insignis quidem, si numerum spectes, copia comparet, ast si exploratas eorundem virtutes & certa aliqua ratione definitas

nitas

nitas seſteris, maxima illorum inopia patet. Quæ
 etenim, ut quidem ego ſentio, de ſingulorum,
 Medicaminum viribus ſcire cum maxime intereſt,
 ea proſecto rariffime Medicorum voluminibus con-
 ſignata repperi. Qualia præſertim hæc eſſe arbitror,
 1^{mo} In quam Morbi ſpecie unumquodque Medi-
 camen vel prodeſſe vel obeſſe compertum ſit; ſedulo
 cavendo, ne confundantur Morbi diverſi ob unius
 aut complurium effectuum convenientiam vel pro
 uno eodemque vulgo habiti, vel ſaltem eodem com-
 muni nomine appellati. 2^{do} Qua ſaltem ejus doſi
 & quoties iterata opus ſit, ut inde optatus aliquis
 prodeat in dato Morbo ſucceſſus, & quouſque hæc
 innoxie augeri poſſit. 3^{tio} Quo morbi tempore, qua
 methodo & quibuſcum de victus ratione præce-
 ptis ejuſmodi Medicamentum Ægrotanti dandum,
 & quibus in caſibus, ſi tales fuerint, illius uſu ab-
 ſtinendum. 4^{to} Quantum & quale tunc inde obser-
 vatum fuerit ejuſmodi Morbo afferri decrementum;
 & quouſque vel ſolus illius uſus ſatis diu continua-
 tus, vel aliis ſubſidiis neceſſariis adjutus, Morbo
 medendo ſufficere viſus. 5^{to} Utrum conſtans ut-
 plurimum, an vero varius & incertus ſit proſper
 ejuſmodi Medicaminis eventus; & qualis fere in-
 ter eas, queis ſucceſſum habuerit, illoque carue-
 rit, vices proportio obtinet. 6^{to} An hæc omnia per
 obſervationes juſto debitoque numero factas & fide
 relatas ſint demonſtrata, atque ita Lectori conſtet,
 quo dictis fundamento fides haberi poſſit. Taceo
 nunc, quam & his addi poſſe ſentio, ſingularium
 illarum cauſarum notitiam, quibus efficitur, ut in
 eadem

eadem Morbi specie exploratæ cæteroquin Medicaminis virtuti interdum neutiquam respondeat eventus, sive hæc effectuum varietas a diversa aliqua Morbi aut Ægroti conditione, sive a differente victus ratione, aut anni tempestate, aeris temperie, ventorum constitutione, aut regionum discrimine, sive denique aliunde pendere comperiatur: etsi enim quodammodo perfectam hujusce negotii cognitionem in plurimis sane casibus ob summam rei difficultatem optandam magis quam sperandam putem, ad eam tamen, quoad fieri potest, adnitendum existimo, ut tanto certius in posterum Medicus futurum Medicaminis eventum prævidere possit. O quam præclara, quam salutifera foret hac ratione concinnata Medicaminum historia! Quanta inde Medicantibus lux, Ægrotantibus salus, & omnium Artium præstantissimæ dignitas accederet! Verum, proh dolor, deprehendimus Nos ab hoc excelso hujus Scientiæ fastigio tantopere abesse, ut de longe maxima Medicaminum etiam usitatorum parte ex Medicorum Scriptis vix quidpiam certi aut definiti ad quæstiones propositas quantumvis scitu necessarias responderi possit. Etenim hic voces ut plurimum obscuræ, vagæ, & plus nimio generales, quibus cum Morbos tum Medicaminum in illis effectus denotant: interdum etiam variæ Pharmacorum operationes a sensuum observatione longe remotæ, atque ex Authoris imaginatione & conjectura, non vero ab experientia depromptæ: veri dosis limites sæpe neglecti, aut ex arbitrio potius quam multiplici experimento definiti: altum passim de illo-

illorum, quos Pharmacis adscribunt, effectuum inconstantia silentium: & denique experimenta ad comprobandas Medicaminum vires iterandi non solum, sed & ad ea provocandi defuetudo. Immo eorum plurimi, qui Remediorum vires enarrant, aliorum potius autoritate quam propria experientia nituntur; unde testimonia multiplicantur, certitudo vero nequaquam augetur: & qui experimentis etiam freti atque muniti videntur, unam sæpe alteramve observationem, in qua voto respondit eventus, afferunt, cæteras autem, quæ successu caruere, turpi silentio prætereunt. Hinc magnifica de Medicaminum virtute Medicorum elogia passim vana, fucosa atque fallacia. Hinc incredibilis in Arte confusio nata. Atque ita effectum est, ut Medica hac in parte Scientia, quâ maxime quidem oportebat, minime omnium hæctenus fuerit promota.

Quamobrem ab eo, quo ad Praxin Medicam accessi, tempore, cum memoratos in hac Arte defectus experirer, in id omni studio, cura & industria incumbere cœpi, ut ex observationibus accuratis, sæpe repetitis, fide notatis, ac denique inter sese comparatis, certas ac definitas Medicaminum virtutes cognoscerem, atque ita mihi provecta magis ætate altiore Praxeos notitiam non infirmo sed stabili & certo fundamento subnixam compararem. Nunc autem ex hoc ipso apparatu Vobis offero hisce Literis adjunctum Opusculum, quod, licet unius tantummodo simplicis Medicaminis, *Salis scilicet Ammoniaci*, vires ex observa-

tionibus deductas complectatur, Vobis tamen haud penitus ingratum fore spero, &, quia Salis hujus effectus secundum methodi ante memoratae leges accurate, quoad potui, determinatos, nec contemnendo Observationum numero demonstratos continet; &, quia præclaram ac hætenus, quod scio, ignotam illius virtutem edocet, qua nempe non solum absque ullo alterius Pharmaci subsidio Morbis celeriter removendis sufficit, sed & singulari successuum constantia in tanta ejusmodi Medicaminum penuria sese maxime commendat. Observationes autem alia prolixius, alia brevius conscriptæ, prout scilicet tunc temporis me de Morbi historia plus minusve certiore fieri contigerit: has tamen sic, ut ab initio notatae fuerant, retinere, quam ad compendii æqualitatem reducere malui, quo tanto melius inde patesceret, in quibus Morbi phænomenis, & qualis, ac quanta ab ipsa *Salis* operatione mutatio succederet. Ut taceam, nunc varia hinc hauriri posse, quæ etsi ad præsens institutum non pertineant, & forte nonnullis etiam leviora videri queant, ad accuratam tamen horum Morborum historiam a Medicis perperam neglectam contexendam faciunt, & tanquam *Data* ad illorum causas indagandas, easque non ex conjecturis, uti quidem hætenus, sed ex observationibus, quousque fieri potest, definiendas inservire possunt. Equidem dolendum existimo, quod Medici Morborum quotidie occurrentium casus conscribere adeo negligent, ut illorum etiam historiam, quæ jam dudum omnibus numeris absoluta esse

esse deberet, hætenus nobis non nisi admodum mancam & imperfectam reliquerint; cum eo ipso, quod Morbi sunt vulgatissimi, illorum observationes frequentissimum ac proinde maximum habeant usum. Quod tamen non ita velim accipi, ac si Casus quoscunque rariores flocci facerem: hi etenim Practicis etiam peritissimis magno interdum usui esse queunt, ut, si in similes quandoque Morbos inciderint, mox ab initio non tantum eorum progressus & exitus, sed & totam medicandi rationem melius perspicere & prævidere possint. Immo eam ipsam ob causam in has Observationes retuli singularem Tertianæ duplicis historiam, cæteroquin extra illos temporis cancellos, quibus cæteræ continentur omnes, constitutam, siquidem ejus phænomena mihi visa fuerint adeo insolita atque admirabilia, ac ulla alia, quæ ad nostram unquam notitiam pervenerunt.

Pluribus hætenus de instituti mei ratione ad Vos scripsi, ne simili postea occasione de ea amplius differere necessum foret; quapropter etiam, si hæc forte epistola verbosior visa fuerit, Vos ejus mihi quidem veniam daturus confido. Si enim in eo genere studium meum non aspernabimini, præter Observationes Anatomicas plura quoque alia hujusmodi ac in gravioribus etiam morbis Artis experimenta Vobiscum, Deo volente, & animo quidem libentissimo, communicare potero. Hoc agendo, si & Hominum commodis consulere, eorumque utilitati ac salutis servire, & mihi Vestram, quam sane maximi facio, gratiam ac benevolen-

12 EPISTOLA AD REG. SOCIET. LOND.

tiam comparare queam, uti hoc ipso nihil mihi magis aut jucundum aut honorificum accidere posse sentio, ita & in hoc negotio neminem aut studio majore aut magis alacri ad omne in Vos obsequium animo versari posse intelligo. Valete.



D I S.



DISSERTATIO
DE
SALIS AMMONIACI
præclaro ad
Febres Tertianas & Quotidianas
Intermittentes
USU,



Sal Ammoniacum arte factum, quod hoc solum tempore in tabernis pro-
stare atque in Medicina usurpari so-
let, Veteribus, quantum liquet, Me-
dicis neutiquam innotuit. Primus,
qui in nostras quidem manus incidit, *Andr. Cæ-
salpinus* hujus Salis parandi modum, quo scilicet
tunc temporis in Germania confici solebat, in Li-
bro *de Metallicis* vergente jam seculo XVI. publi-
cavit; solum autem chymicum illius in metallis
usum tradidit, medicum vero ne quidem attigit.
Neque etiam de ejus interno in Arte Medica, sal-
tem in Febribus, usu ullum, quod scio, apud

I.
Salis Am-
moniaci e-
gregia vir-
tus febrifu-
ga hæcte-
nus latuit.

Fernelium, *Forestum*, *Joalem*, *Dodonæum*, *F. Platerum*, *Schenckium* & plures alios celebriores istius seculi Medicos vestigium exstat, nisi, quod *laterus* hunc Salem in Asthmatis curatione memorat. Nonnulli vero seculi sequentis atque novissimi Authores hujus quidem Salis in re Medica utilitatem, immo & vim aliquam, ut ajunt, *febrifugam* agnovisse, ast verum illius in Tertianis & Quotidianis intermittentibus curandis usum & singularem illam virtutis excellentiam, quæ ex paucis hisce pagellis patebit, nulla equidem ratione perspexisse videntur. Ita ea quidem ætate aliqui de iis, qui Medicaminum virtutes enarrare atque scripto comprehendere studuerunt, ut *Schroderus Pharm. Med. Chym.*, *Et-mullerus Schroder. dilucid.*, *Konig Regn. Miner.*, *Dale Pharmacol.*, *Marg graef in Collect. Chym. Leydens.*, *Lemery Cours de Chymie*, &c. Sal ammoniacum, illiusve Crystallos vel Flores generatim in Febribus & præsertim in Quartanis prodesse notarunt. Ita pariter nonnulli ex iis, qui toto istius seculi decursu florere & de Febrium intermittentium curatione scripsere, Medici, uti multorum quidem Medicaminum, ita & Salis ammoniaci aliquam ibidem mentionem injecerunt. Sic equidem novi, *Willisium de Febribus*, *Barbette Prax.*, *Rolfincium Meth. Cur. Febr.*, *Mynsichtum Armam.*, & *Chr. Job. Langium in Praxi Med.*, Sal Ammoniacum vel ejus Flores inter cœtera qualiacunque *Febrifuga* in Intermittentibus usitata memorare; *F. De le boe Sylvium in Prax. Med.* illud, quoties Ægri constitutio biliosa fuerit, in hisce Febribus una cum cæteris aliis,

liis, ut ait, *Solventibus* atque *Incidentibus acidis* præscribere; *Grulingium Med. Pract.* hoc Sal, si septies sublimatum sit, ad omnes Febres, præcipue vero ad Quartanam utile pronunciare; *Sennertum & Primerosium, de Febris*, referre, illud in Quartana, postquam sublimatum fuerit, a quibusdam Chymicis usurpari solere; *Michaellem Oper. Med. Chir.*, *Dekkers in Not. ad Barbette, Dolæum Encycl. Med.*, & *Walschmid in Prax. Med.* cæterisque *Operibus*, omnes in Quartana, *Dolæum* etiam in Quotidiana, & *Dekkers* in Tertianâ, ac *Walschmid* in utraque, hoc Sal illiusve Flores pluribus aliis *Febrifugis* in *Formulis* ibidem præscriptis adjicere. Interea tamen egregias hujus Salis vires cunctis his Authoribus neutiquam exploratas aut cognitâs fuisse, vel inde facillime liquet, quod, cum in quolibet Medicamine, de quo aliquam tantum opinionem animo conceperint, magnifice laudando atque efferendo cæteroquin nimiam Medicorum facilitatem, ne dicam temeritatem, summo quidem jure culpaveris, hic Ammoniacum Salem nullo prorsus encomio exornent, nullam ei præ cæteris, imo levissimis etiam Febrifugis præstantiam tribuant; atque solus, qui id *præmissis præmittendis pro singulari Febrifugo* venditat, *Etmullerus*, in iisdem morbis majore etiam laude *Spiritus* ex hoc Sale extracti vires, licet re ipsa multum inferiores & hic cum ipsius Salis virtute nequaquam comparandas extollat. Deinde id hinc quoque ulterius patere potest, quod memorati Authores, si unum quidem *Sylvium* exceperis, hujus Salis usum ad pauca tantum grana defini-

niverint, & qui hic, ut *Lemerius* & *Etmullerus*, cæteris etiam majorem constituerunt dosin, maximam tamen non ulterius quam vel ad xxiv vel ad xxx solum grana extendendam putaverint, atque ita hoc Medicamen quantitate multo minore, quam qua passim Febri alicui curandæ par est, præscripserint: *Sylvium* vero, etsi hoc majore quidem pondere in potionem medicatam ingesserit, id tamen propterea potius, quod hunc Salem ad bilem temperandam accommodatum crediderit, fecisse, quam quod ullam singularem illius in Febribus tollendis virtutem exploraverit, sola equidem Libri inspectione liquet. Denique id ipsum & hoc confirmat, quod ipsi hi Medici, etsi Sal ammoniacum in Quartana parum, in reliquis vero Intermittentibus plurimum possit, tamen ejus in illa vires pauci non minores, quam in hisce, plurimi multo etiam majores existimaverint. Quas ob rationes profecto mirum non est, nullam de hoc Medicamine famam percrebuisse, nec aliquam ejus opinionem ad longe maximam Medicorum partem ne ad hoc quidem tempus fuisse perlatam; ac proinde a multis, qui nominatis Authoribus æquales vel ætate posteriores Febrium curandarum rationem tradidere, ut *Horstius Op. Med.*, *Riverius Prax.*, *Guldenklee Cas. Med.*, *Majerne Prax. Tract. de Febr.*, *Piens de Febr.*, *Jones de Febr.*, *Morton Oper. Med. Tom. 2*, *Burnet Thesaur. Med. Pract.*, & alii plures, Sal ammoniacum in Medicaminum ad Febres intermittentes usitatorum numero ne quidem relatam aut commemoratum fuisse, etsi eorum plurimi vel præstantio-

ra,

ra, vel quælibet etiam alicujus tantum existimationis Febrifuga, tam quæ ante publicata fuerant, quam quæ tunc innotuerant, de industria colligere atque enumerare studuerint. Hæc autem hic fusius profecutus sum, non quod inventionis tantillæ laudem rem alicujus momenti putem, aut de ea mihi vendicanda laborem, sed ne aliis forte, qui in ejusmodi, qualia supra retuli, Authorum loca incidunt, hic minus candide egisse, aut aliena pro meis inventa venditasse videar. Nunc vero de re ipsa dicere, atque hujus Salis in Intermit- tentibus depellendis usum exponere aggredior.

Mediocre Salis Ammoniaci *Dosim*, quæ Homini adulto maxime convenit, & a me frequen- tius adhiberi solet, ad $\text{ʒi}\beta$ adscendere, minimam vero, quæ hic ad usum interdum sufficere, ac maximam, quæ sine periculo aut detrimento ægro- tanti dari potest, per varios quidem ætatis gradus cum ea, quæ hic indicatur, convenire, illæ, quas hic infra referam, Observationes edocent.

II.
Salis Am-
moniaci
Dosis per
varios æta-
tis gradus.

Salis Ammoniaci Dosis

Minima Maxima

In Ætate		
adulta	ʒi Vide <i>Cas.</i> 23, 26, 27.	$\text{ʒi}\text{ʒij}$ <i>Cas.</i> 15, 16. vel ʒij <i>Cas.</i> 34.
15 vel 16 annorum	ʒi <i>Cas.</i> 25.	$\text{ʒi}\beta$ <i>Cas.</i> 36.
11 vel 12 annorum	ʒi <i>Cas.</i> 24.	$\text{ʒi}\text{ʒi}$ <i>Cas.</i> 24.
8 annorum	ʒi <i>Cas.</i> 17, 33, 38.	$\text{ʒi}\text{ʒ}\beta$ <i>Cas.</i> 33.
3 annorum	ʒij <i>Cas.</i> 18.	$\text{ʒij}\beta$ <i>Cas.</i> 18, 19.
1 anni, aut paulo grandiore.	$\text{ʒ}\beta$ <i>Cas.</i> 20.	$\text{ʒ}\beta$ gr. iv. <i>Cas.</i> 20.

C

Etsi

Etſi vero cuiſpiam hæc doſis differentia pro ratione ætatis non ubique ſatis decreſcere videri poſſit, nolui tamen eam hic ex arbitrio aut aliunde, quam ex obſervationibus definire.

III.

Hujus
Salis adhi-
bendi tem-
pus ac me-
thodus.

Hanc porro Medicinam Ægrotis adhibendi conſueta mihi ratio hæc eſt. Salis hujus doſin Febricitantis ætati convenientem prius in uncia circiter una vel Aquæ ſive coctæ ſive deſtillatæ vel Cereviſiæ diſſolutam & liquefactam accipit Æger ſemihora vel etiam breviori ante ipſum acceſſionis initium intervallo, ſi ſcilicet Febris vel ſtata hora vel certa ſaltem periodo conſtanter recurrat, atque ita futurum reditus momentum probabili aliqua ratione prænoſci ac præſiniri poſſit; ſi vero ſecus ſeſe res habuerit, hanc ſine mora potiunculam haurit, ſimul atque prima vel ingruentis vel jam invadentis paroxyſmi indicia perſentire cœperit: ut primum autem eam epotavit, conſeſtim aliquid potus ut Cereviſiæ vel Theæ vel Coffe, quem jam ante eum in uſum paratum habeat, ſuperbibere, atque ita ſalſum ex ore ſaporem eluendo & moleſtiam inde natam tollere & nauſeam inde haud difficulter orituram avertere convenit. Etſi autem unica sæpe doſi Febrem depelli neque poſtmodum reverti contingat, quia tamen non conſtans aut certus hic effectus eſt, majoris ſecuritatis ergo, Ægrotanti eundem hujus Medicaminis uſum ſub alterius paroxyſmi adventum ſimili plane ratione repetendum exiſtimo. His peractis, etiamſi, quod raro equidem evenire ſolet, hac altera acceſſione Morbi vires nondum fractæ vel admodum debilitatæ

tatæ videantur, nihilominus absque ulteriore Medicaminis usu tertiam accessionem expectandam censeo, utpote quam comperi passim vel neutiquam reverti, vel levissime tantum afficere, atque deinceps sponte sua Ægrotantem derelinquere. Quod si tamen inopinatus ejusmodi casus extiterit, ut Febris pervicacior duplici Salis dosi non cesserit, sed tertia etiam accessione vegetum adhuc morbi vigorem ostenderit, quarto paroxysmo recurrente tertiam ejusdem Medicaminis dosin eadem plane ratione iterandam jubeo. His nostra *Tertianis simplicibus & Quotidianis* Sale Ammoniaco medendi methodus continetur. Hoc solum advertendum superest, quod infra ex *Observationibus* constare poterit, Tertianas quidem, ut curentur, rarius quam Quotidianas tertia Salis Ammoniaci dosi indigere. Quod autem ad *duplices Tertianas* attinet, etsi, ut in iis, quæ sequuntur, *Observationibus Casus 23* edocet, unica interdum Salis dosis illis tollendis suffecerit, quia tamen id non semper accidere, vel ipse, qui sequitur, *Casus 24* documento esse potest, idcirco & ad certiolem curationis successum & ad majorem ejusdem celeritatem si non necessarium saltem utile duco, ad singulas has, quæ Morbum hunc componunt, Tertianas non tantum singulas Salis doses adhibere; sed & easdem proxima quaque accessione iterare.

Cunctis his Febricitantibus eam interea victus rationem præcipio, quam nullo habito Medicaminum discrimine in omnium Intermittentium curatione observandam judico. Durante Febris acces-

IV.

Victus ratio & in hujus Salis usu & in qualibet

Intermit-
tentium
curatione
observan-
da.

fione iis quocunque potu frigidiore interdico. To-
to vero curationis tempore, imo & menstruo post
hanc intervallo, *Carnem suillam* ac *Lardum*, & Pis-
ces marinos, præsertim *Passerem* seu *Rhombum*
(Bot), *Apuam cobitem* (Spierling), *Asellum*
minorem, *majoremque* prohibeo; & ab Aquarum flu-
entium ac præcipue Fluminum transitu cavendum
moneo. De potus frigidioris in ipsa Febre noxa &
hic forte aliquod in *Casu* 34 specimen exstat. A
Carne suilla, Piscibusque recensitis Febres inter-
mittentes jam per aliquod temporis intervallum, imo
per integri fere mensis spatium, curatas & prorsus
extinctas resurgere, præter *Casus* 33 & 16 infra
memorandos tot mihi, quot ad rei demonstratio-
nem abunde sufficiunt, exempla suppetunt. Flu-
minum transitum ad Febres recidivas generandas
aptum Medicorum alii asserunt, alii negant; illi
observationibus nixi ad experientiam provocant,
hi ratione freti, dum nullum inter hanc causam &
quem ei tribuunt, effectum mentis acumine nexum
perspiciunt, rem hanc ut inanem atque anilem
fabellam rejiciendam judicant. Verum enim vero, cum
innumeri in rerum natura effectus sint obvii, quo-
rum causæ omnino certissimæ, illorum autem cum
hisce concatenatio plane obscurissima, istiusmodi
ratio ad fidem experientiæ abrogandam neutiquam
sufficit. Hunc unum ergo scrupulum tantummodo
superesse reputo, an concessa observationum veri-
tate utrumque, quorum alterum pro causa, alte-
rum pro effectu habetur, non hic forte casu atque
fortuna concurrerit; quod quomodo se habeat, ex
ipsum

ipsius rei frequentia aut raritate dijudicari posse intelligo. Si enim istiusmodi recidivæ in ipso Fluminis transitu aut exiguo tantum temporis spatio interjecto multo frequentius contingant, quam, si hoc casu fieret, contingere deberent, id quod calculo haud difficulter æstimari potest; vel si illis, qui nuper febricitarunt, id haud frequenter impune tentare liceat; vel si plures, quos Febris nondum reliquit, hinc paulo post & insueto omnino tempore paroxysmo corripiantur; hæc sane putarem certa de hujus rei veritate testimonia. Atqui præter illud, quod *Casus 35* exhibet, hujus rei exemplum, jam eum ejusmodi Observationum collegi numerum, qui si rem hac via non plane demonstrare, ei saltem fidem facere, atque hujus opinionis Authores a nimix credulitatis nota vindicare possit. Has autem ut & paulo ante memoratas Observationes hic cæteris quidem adjicerem, nisi eas ad generalem Intermittentium curationem potius quam ad nostrum hic scopum pertinere judicarem, ac proinde nimiam hujus Opusculi molem jam nunc præter opinionem excrescentem veritus eas ad aliam occasionem reservare mallet.

Ut vero nunc Salis Ammoniaci præscripta ratione usurpati operatio & virtus certius & adcuratius patefcerent, non solum omnes Febrium intermittentium Casus, quibus intra biennii spatium (quod scilicet ab initio Mensis *Septembris Anni 1702* ad finem *Augusti Anni 1704* effluxit) hocce Medicamen adhibui, nullo quidem, ut adcurata successuum ratio iniri posset, omisso notare, atque

V.

Qua ratione Salis Ammoniaci virtus & per Observationes & per Tabulam effectuum inde cōtinuatam de-

monstrabitur.

ad hos unico tantum, qui extra hujus temporis limites contigit, cum ob singularia ac admiranda Febris illius phænomena, tum ob hujus Salis operationem curiosius in ea observatam, adjecto, heic proponere & huic Dissertationi subjungere institui; sed & varios hujus Salis effectus, quos in Intermittentium inde curatarum paroxyfmis mutandis, minuendis & tollendis prodidit, ex Observationibus memoratis, ubicunque nimirum de iis satis constitit, excerptos & in compendium redactos, additis temporum notis, in unam *Tabulam* ad calcem hujus Opusculi affixam cogere, & sic simul uno ante oculos Schemate, quo celerrime a mente percurri & facillime inter se conferri possent, exponere atque repræsentare conatus sum: quod etsi fortasse in ejusmodi rebus inusitatum, tamen non inutile visum.

VI.

Salis Ammoniaci in Tertianis & Quotidianis intermittentibus curandis effectus, eorumque constantia & celeritas.

Ex hac Observationum sylva de Salis Ammoniaci in Tertianis & Quotidianis curandis effectu, illiusque constantia & celeritate, sequentia patent.

I^{mo}. Quod adeo constans sit hujus Salis effectus, ut in octo Casibus, quibus ad Tertianas & Quotidianas intermittentes sanandas ea, quam supra demonstravimus, ratione adhibetur, vix semel optato successu destituatur. Etenim ab hoc Sale sic usurpato in Observationibus memoratis Febres sequentes.

	fuere curatæ	non curatæ
Tertianæ simplices	22	3
Tertianæ dupl. & Quotidianæ	6	1
Ac proinde Tertianæ	<hr/>	<hr/>
& Quotidianæ conjunctim	28	4

Im.

Immo illos etiam Febrium casus, quibus curandis impar fuit Salis Ammoniaci virtus, multo quidem, quam ex hoc calculo apparet, rariores esse posse intelligo; siquidem in quatuor his Febribus, quas à Salis hujus usu nequicquam curatas docui, successus propterea fortasse defuerit, vel quod Ægri graves, quos quidem me celaverint, in victu errores commiserint, quales ut recidivæ excitandæ ita & curationi impediendæ pares esse queunt; vel quod post binas, quæ non suffecerant, Salis nostri doses tertia reventibus Ægris, uti quidem factum oportuerat, non fuerit iterata. Quemadmodum enim in Corticis Peruviani usu experimur quotidie, eam, quæ plerumque sufficit, illius quantitatem, nonnunquam tamen Febri ejusdem licet generis curandæ non solum imparem, sed & præ morbi pertinacia prius, quam curatio consequatur, ferme duplicandam esse; ita pariter, etsi duplex Salis dosis ad tollendas passim Febres satis efficax deprehensa fuerit, ea tamen, ut hoc *Casu* 24. & 28. confirmari potest, ad Febres altioribus radicibus defixas evellendas ejusdem interdum Medicaminis iterandi subsidio indigere, atque hujus adjumento destituta viribus deficere poterit. Quem autem hic proposui egregium Salis ammoniaci usum, eum non tantum me hæc, quam heic adjungam, Observationum collectio docuit, sed & frequens toto deinde Praxeos decursu experientia confirmavit; neque mea solum, sed &, quæ huc accessit, Fratris observatio; qui, cum hujus Remedii vires in Tertianis & Quotidianis explorasset, quæ ei u-

nius

nus anni circuitu incredibili quidem numero curandæ obtigerant, illud, ut mihi retulit, spem suam rarissime fallere comperit, & ob hanc singularem hujus Medicaminis præstantiam toto deinde reliquo vitæ tempore illud in his Febris extirpandis Peruviano Cortici præferendum censuit.

II^{do}. *Quod in his Intermittentibus Sale Ammoniaco curatis toties saltem una illius dosis suffecerit, quoties eam iterare necessum fuerit.* Etenim ex 28 Febris, quarum hoc Sale curatarum observationes retuli, 14 unica illius dosi fuere depulsæ; & fuissent fortasse multo plures, si id experiri licuisset; in cæteris enim binæ passim Salis doses binis continuis paroxysmis adhibitæ fuerunt, atque ita effectum est, ut, quid sola prioris dosis virtus præstiterit, discerni non potuerit. Saltem tres illas Tertianas *Cas* 11, 14 & 15 memoratas, in quibus alter ab assumpta priore dosi paroxysmus non rediit, hujus omnino viribus fuisse fugatas, mihi sane quammaxime probabile visum est. Fac ergo reliquas undecim Febres haud uni Salis dosi fuisse cessuras, & his 4 illas *Observ. Class. 2. Sect. 1. Art. 1.* propositas adjice, quibus etsi unica dosis curandis impar fuerit, duplicatam nihilominus sufficere potuisse, probabile puto; manebit tamen, ex 32 Febris, quibus Salis hujus virtus mederi potuit, 17 fuisse, quibus depellendis equidem unica illius dosis suffecerit.

III^{tio}. *Quod in Tertianis & Quotidianis ea fuerit Salis Ammoniaco in Morbo levando ac tollendo celeritas, atque ea in operando constantia, ut*

1. ex 5 Febris passim 2 fuerint, quibus accessio primam Salis dosin mox insecuta magnopere levata, ex 6 solummodo 1 circiter, in qua hæc aggravata, ex 7 vero 3, quibus eadem neutiquam mutata exstiterit.

seu, quod eodem redit, ex 35 Febris fuerint mox prima a Sale sumpto accessione 14 magnopere levata, 15 non mutata, & 6 tantummodo aggravata.

2. ex 27 Febris a Sale Ammoniaco curatis fuerint 15, quibus alter a Sale sumpto paroxysmus omnino non recurrerit, 7, quibus vel levissimus vel saltem magnopere levatus redierit, & 5 solum, quibus is eodem fere ut antea vigore reversus fuerit.

3. Ex iisdem 27 Febris a Sale Ammoniaco curatis fuerint vix 9, quibus tertius a Sale sumpto paroxysmus redierit, immo, ut probabili quidem ratione colligi potest, 5 solum tales exstitissent, si methodo Art. III. commendata Sal Ammoniacum adhibitum fuisset.

Et ex his 9, quæ scilicet tertia a Sale sumpto accessione redierunt, fuerint

7, quibus ille paroxysmus vel levissimus vel saltem maxime levatus recurrerit;

& 4, quibus is paroxysmus exstiterit ultimus;

& 1, quæ deinde semel tantum levissime recurrerit;

& 3, quæ sua sponte vel ab eo tempore decreverint, vel paulo post cessaverint;

& 1, solummodo Tertiana duplex, quæ tertia quoque Salis dosi indiguerit.

4. Immo, quod tertius a Sale sumpto paroxysmus recurrerit, id in Tertianis simplicibus sexies quidem varius, quam in Quotidianis contigerit.

Quod enim ad primum attinet, si uti par est, illas solum observationes spectemus, in quibus de hoc Salis effectu constitit, patebit, ex xxvii Febribus in *Tabula* memoratis *duodecim*, nempe *Casu* 3, 5, 6, 7, 9, 16, 20, 23, 24, 26, 27, & 28 notatas, & ex viii Febribus in *Class.* 2. & *Append.* relatis *duas*, *Casu* 35 & 39 propositas, exstitisse, in quibus paroxysmus mox a prima Salis dosi secutus magnopere fuit imminutus; ac proinde has conjunctim sumendo ex xxxv Febribus xiv fuisse, in quibus hæc tam subita Salis operatio fuit deprehensa: ex iisdem vero xxxv casibus vi tantum Febribus, *Casu* nimirum 12, 13, 14, 15, 21, & 30 commemoratis, primum a Sale sumpto paroxysmum aggravescere visum; in cæteris vero xiv nullam, quam quidem intellexi, hujus paroxysmi mutationem fuisse observatam.

Quod vero ad alterum spectat, *Tabulam* adjunctam percurrendo liquet, ex xxvii Febribus a Sale nostro curatis xiii *Tertianas* & *Quotidianas* exstitisse, in quibus alter a Sale sumpto paroxysmus prorsus fugatus fuit, & ii *Tertianas duplices*, in quibus itidem altera illius Tertianæ, sub cujus scilicet adventum Sal usurpatum fuerat, accessio non rediit, etsi in horum casuum altero is, qui jam desierat, paroxysmus postmodum resuscitatus fuerit. Atque hæc quidem ita se habent, ut ex xv hisce Casibus duo tantum exstiterint, quibus alterius paroxysmi tempore aliquis solum-

solummodo capitis dolor, duo, quibus tunc temporis levis quædam alteratio, & unus solum, in quo tum aliquod caloris augmentum sese prodiderit; cæteris vero cunctis ne minimum quidem hoc ipso tempore observatum fuerit valetudinis indicium. Eadem porro *Tabula* docet, ex reliquis XII casibus, quibus alter a Salis usu paroxysmus non plane depulsus fuit, VII tamen fuisse, quibus is vel levissimus vel saltem maxime levatus recurrerit, & V solummodo, in quibus is eodem, ut ante, tenore perstiterit.

Tertium pariter sola *Tabulæ* inspectio haud difficulter edocet, si tantum animum adverteris, inter has IX Febres, quibus tertius a Salis usu paroxysmus rediit, tres adfuisse ab unica solummodo hujusce Remedii dosi tantopere levatas, ut tertia a Sale sumpto accessione non nisi levissime tantum *Ægrotantem* affecerint; indicio equidem haud obscuro, si altera ejusdem Medicaminis dosis iterata fuisset, eas ne tertio quidem paroxysmo fuisse reversuras. Quod de illarum postrema, *duplici* nimirum *Tertiana*, *Cas. 23* memorata, tanto etiam liquidius constat, quia unica Salis dosis illam mox *Tertianam*, sub cujus adventum sumpta fuerat, sustulit, & alteram ita fregit, ut tribus inde paroxysmis prorsus decreverit; unde si idem Medicamen sub alterius *Tertianæ* accessionem iteratum fuisset, ambigi non potest, quin, quod in Febre viribus integra potuit, id tanto magis in fracta præstitisset, ac hanc proinde nullo quidem negotio confestim depulisset. Immo præter has tres Febres, his etiam

alia *Tertiana* nempe *duplex Casu 24* notata interfuit, ex cujus *Tertianis* altera duabus a Sale sumpto accessionibus ita decrevit, ut deinceps fere penitus fugata decesserit, & aliquam solummodo alterationem solitis paroxyfmi temporibus reliquerit; altera vero mox a Salis usu ita quidem fracta fuit, ut illico duarum insequentium accessionum tempore ægrum affligere intermiserit, deinde vero, cum nondum radicitus evulsa fuisset, viribus quodammodo resectis resuscitata fuerit; insigni equidem documento, si in harum utraque mox ejusdem Medicaminis usus, ut quidem oportuerat, iteratus fuisset, illius equidem virtute haud difficulter exiguas, quæ tunc tantum supererant, Morbi reliquias ante tertii paroxyfmi reditum, penitus potuisse depelli.

Ultimum denique, quod hic notandum censui, facili quidem ratione constat: etsi enim *xx Tertianis simplicibus* hic commemoratis *iv* interfuerint, quibus tertius a Sale sumpto paroxyfms rediit, illis tamen, uti jam supra observatum est, *ii* tantum ejusmodi Febres affuissent, si Salis usus debita methodo iteratus esset; cum e contra ex *v Quotidianis* *iii* exstiterint, quibus tertia a Salis usu accessione reverti contigerit: unde liquet eas, quibus id in *Tertianis* acciderit, vices, in ea quidem ad illarum numerum ratione fuisse,

ut 1 ad 10, seu ut 3 ad 30,
in Quotidianis vero

ut 3 ad 5, seu ut 18 ad 30,
ac proinde hoc sexies frequentius in Quotidianis
nis

nis quam quidem in Tertianis simplicibus evenisse.

Ex his itidem Observationibus manifestum est, *Febres recidivas*, quæ a *China China* usu frequentissimæ eveniunt, a nostro quidem *Sale* omnino rarissimas accidere, nisi quis eas ciborum, aut rerum officientium usu, ac sua proinde culpa sibi arcessiverit. Etenim ex XXVIII Febribus a Sale Ammoniaco curatis vix *duæ* tantum postea reversæ fuere, quarum altera Tertiana, *Casu* 19 memorata, quæ Puellulam afflixerat, interjectis undecim a curatione diebus, forte ab aliquo, ut suspicor, victus errore, recurrit; altera vero Quotidiana *Cas.* 28 notata, quæ Virginem 18 annos natam & fluxum menstruum nondum expertam affecerat, & a *Salis* dosi vix sufficiente paulatim decreverat, post duarum vel trium septimanarum circuitum rediit. Hæc sola in omnibus hisce *recidivæ* exempla. Etsi enim in illa Tertiana duplici, cujus paulo ante memini, altera Febris, quæ Morbo nondum penitus depulso per unam alteramve accessionem ferme delituerat, Medicaminis defectu, quod ad eam radicatus extirpandam iterandum fuerat, rursus in scenam prodierit, hanc tamen, quia nondum penitus curata extiterat, haud inter Febres recidivas numerandam existimo.

Quæ etiam de Corticis Peruviani usu multi perhibent, quasi hic sanitati nocivus varia immo & graviora in Corpore mala progigneret, hæc sive vera sive falsa de nostro saltem Sale neutiquam metuenda comperi. Ab hujus enim usu Febricitantibus

VII.

A Salis Ammoniaci usu Febres recidivæ omnino rarissimæ accidunt.

VIII.

Salis Ammoniaci usus Sanitati neutiquam nocivus, neque ul-

Ius inde
mali futuri
metus.

tantum quod inde curatis passim absque ullo alterius Medicaminis subsidio Stomacho appetitum excitandi & cibos digerendi facultatem, Faciei colorem & Corpori vires restitui deprehendi, nullum autem unquam incommodum inde ortum vidi; ita quidem, ut excepta Puerpera *Casu* 26 & Vetula *Casu* 8 memorata, quarum altera cacochymica, altera præter Quotidianam Diarrhæam afflicta, hanc, illam curatam, gravi in victu errore incitaverat, cæteri omnes, quorum Casus hic notati, postquam a Febre liberati fuerant, brevi equidem pristinum vigorem atque sanitatem recuperaverint. Immo ex xxxviii Ægrotis, qui, ut infra patebit, annis 1702, 1703 & 1704 Sale Ammoniaco usi fuerunt, etiam nunc hoc anno 1716, quo hæc scribo, xxx, ni fallor, supersunt & valetudine prospera utuntur; saltem de xviii id mihi certo constat & de reliquorum morbo vel morte nihil mihi hætenus compertum est. Ex viii autem cæteris jam fato functis, una Puerpera modo memorata ex victus errore & morbo inde aggravato decessit; tres admodum senes aliquot post annis ad mortalitatis demum finem accessere; Frater charissimus, ut ex *Casu* 23 liquet, elapsis 18 fere mensibus acutissima Febre, quam ex contagione contraxerat, extinctus est; reliqui tres quadriennio post, aut longiore etiam intervallo, quo passim sani vegetique fuerant, in morbum impliciti supremum obiере diem. Ex his itaque satis superque manifestum est, in Sale Ammoniacum ne minimam quidem noxam neque mox neque diu post inde orituram suspicionem

nem posse cadere; ac proinde *Fr. Joelem* in summo hic errore versari, dum *Oper. Med. Tom. 5. lib. 2.*, quo de Venenis disserit, *Sect. 3. pag. m. 124.* hunc quoque Salem in eorundem numerum adscripserit, & hoc quidem falsum de eo testimonium reddiderit. *Symptomata*, inquit, *si intra corpus ingeratur, excitat Sal Ammoniacum similia Mercurio sublimato aut Arsenico; ventriculum enim & intestina exurit, linguam arefacit & fauces exulcerat.* Hæc enim non tantum falsitatis arguit ingens eorum, quos supra demonstravi, Medicorum cohors, qui de interno ejus usu ne minimam quidem suspicionem alere visi, sed & clarissime convincit cum ea, ad quam jam provocavi, *Observationum sylvæ*, tum frequentissima, quæ & mihi & Fratri toto deinde *Praxeos* decursu de hujus Salis usu non solum in adultis aut natu majoribus, sed & in tennerrimis etiam infantibus contigit, experientia. *Luculentum* profecto eorum, quæ ante notavi, specimen, quam nimirum lubrica sit parumque tuta interdum Medicorum fides, in iis etiam, quod sane deplorandum est, de quibus non dubitanter, sed audacter & quasi re penitus explorata differere videntur.

Quod denique ad Salis Ammoniaci operandi modum attinet, ad hunc illustrandum non nisi perpauca & ea quidem satis exigui momenti huc afferre poterò; utpote, qui ab initio jam apud animum proposui, nulla hic luxuriantis imaginationis commenta, sola vero observatione comperta aut justis & legitimis inde confectariis deducta tradere.

Pri-

IX.

Salis Ammoniaci
intus in
Corpore o-
perandi ra-
tio.

Primum ergo, quod hic observo, hoc est, quod, ut primum *Sal Ammoniacum* in *ventriculum* delapsum fuerit, mox aliqua ejus portio inde celerrime in *Corpus* diffundatur. & *Sanguini Humoribusque* permisceatur. Etenim in *Casu 23* *Æger* sumptum *Salem* mox in *ventriculo* operari, & *quadrantis horæ* spatio sese in *totum abdomen* diffundere, ibique adhuc per *dimidiam circiter horam* leniter admodum & absque ullo incommodo agere sensit: alii vero, ut in *Casu 31, II & 2*, a *Sale* paroxysmo inchoante confestim sumpto mox vel *calorem in ventriculo* productum & inde *prognatas frigoris ac horroris inducias*, vel *statim inde frigus quammaxime imminutum*, vel *id ipsum multo quam ante brevius* experti fuere. Jam autem *Salem Ammoniacum* ex *ventriculo* sub forma liquoris per *consuetam chyli fæcumque* viam progrediendo adeo minutulo temporis spatio non hos solum effectus edere, sed & in *totum abdomen* diffundi posse, mihi sane neutiquam probabile apparet; & quidem eo minus, quia hunc *Salem* sub ea, quam memoravi, forma per *primas* haud celeriter vias propelli, aut in *ventriculo* sat longas necere moras comperi, dum ille, de quo *Casu 15*, *ventriculum* inde aliquandiu oneratum senserit, & hic ipse atque alii pariter, ut *Casus 13, 31, 15 & 10* edocere queunt, non *femihoræ* tantum, sed & *unius ac dimidiæ*, immo *bihorii* intervallo a *Salis* usu elapso etiam tunc ejus in *Aqua soluti* partem vel *solam sive puram* vel cum *potu* aut *bile permixtam* vomitu rejecerint. Cum itaque *exilissima tunicarum Ventriculi & intestino-*

rum;

rum, nec non Vasorum sanguiferorum illas perreptantium spiracula non solum liquorum volatilium sed & simplicis aquæ in Ventriculum aut Intestina delapsæ particulis ita pateant, ut ea permeare, atque inde mox vel in Vasorum sanguiferorum vel in Abdominis cavitatem evadere possint, uti præter alias Observationes, Celeberrimorum Anatomicorum experimenta, nimirum *D. Mery* apud *Hamelium Hist. Acad. Reg. Scient. Lib. 3. Sect. 6. Cap. 2. §. 6,* & *Lib. 6. Sect. 1. Cap. 5. §. 3,* & *Vieussenii Nov. System. Vasor. p. 30-34.* clare demonstrant; & propterea hi ipsi meatus eidem Liquori Sale foeto multo magis patere debeant, dum Aquam, si Salibus muriaticis imbuta, quam si pura fuerit, penetrantior esse, vel ipsa ex Sale communi confecta Muria vasis ligneis multo quidem difficilius quam aqua pura coercenda edocet: idcirco mihi quammaxime probabile videtur, quam primum Salis Ammoniaci Liquor in Ventriculum aut Intestina descenderit, permultas ejus particulas ibidem partim in ipsa sanguifera vasa per eorum poros penetrare, partim transversos membranarum has cavitates circumvestientium meatus pervadere, atque hac via halitus hosce Salinos in totum abdomen diffundi, & insensilia ubique viscerum vasorumque spiracula permeare, atque ita sanguini & humoribus confestim permisceri: quæ omnia tanto quidem celerius accidere debere videntur, si cogitemus multas Salis Ammoniaci particulas utpote volatiles mox ventriculi calore in vapores elevari, qui ipsis liquoribus & mobiliores & penetran-

E

tiores

tiores esse solent, & propterea non solum citius per intestina dissipari, sed & facilius quoslibet meatus cæcos subire posse. Immo in his ipsis particulis, quæ ex Sale Ammoniaco in ventriculum delapso confestim exhalant, & inchoante Febris accessione per memoratas viarum angustias celerrime in Viscera & Humores evadunt, hic quidem potissimum illius virtutem esse sitam, nonnullam nobis suspicionem injicit hæc observatio, quod etsi jam ante dicto post Salem sumptum intervallo illius pars vomitu rejecta fuerit, ejus tamen operatio in *Casû* 10, 13 & 15 propterea nequaquam debilitari visa sit, uti nec in *Casû* 19, ubi Sal ammoniacum in cupreo vase tritum paulo post, quam sumptum erat, vomitum excitaverat, atque ita ex parte saltem exturbatum fuerat.

Qua autem ratione Sal Ammoniacum Sanguini & Humoribus permixtum in ipsam Febris causam agat, illamve debeat, hic quidem accuratius exquirere aut definire neutiquam aggrediar; ad hanc enim hujus Salis operationem rite explicandam ipsa Morbi causa primo indaganda & demonstranda foret, quod a nostro hic scopo non solum alienum sed & haud levi opera expediendum puto: uti enim de hac multa dicere & conjectari facillimum, ita pauca in medium proferre, quæ hoc seculo adeo illuminato perspicacioribus, quibus aures jam dudum ad lepidas & commentitias Medicorum fabellas obsurduerunt, placere, illisque certitudinis evidentia satisfacere possint, omnino difficillimum esse intelligo. Alterum ergo, quod in hac rerum caligine aliquantulum elucere ac
pro-

proinde hic animadverti posse video, hoc est, *Sallem Ammoniacum* nec vomitum ciendo, neque ventrem movendo, neque sudores excitando operari; illudque videri in his Febribus curandis potius earundem causam immutando & corrigendo, quam hanc è corpore eliminando agere. Etsi enim paucis in casibus paulo ante memoratis Salis Ammoniaci usum vomitus fuerit infecutus, illud tamen, cum in ventriculum pervenerit, neque nauseam neque vomitum excitare solere, uti ex cunctis reliquis observationibus abunde patet, ita & ex his ipsis facile liquet: in nonnullis quippe nausea & vomitus jam ante & ab alia quidem causa ægrotantes infestabant; uti in *Casu* 13 à Phlegmatum in fauces incidentium molestia; & in *Casu* 10 à Bile in primas effusa vias, ibique copia vel acredine turbascente, utpote quâ Salis Ammoniaci fortasse operatione solutâ atque rejectâ, omne nausæ & vomitus incommodum antea ægrotanti maxime molestum evanuit: in cæteris vero, uti in *Casu* 15 & 31, vomitum durante frigore & horrore febrili aut paulo post obortum ipsi Morbo adscribendum existimo, dum is hoc tempore, nullo etiam Medicamine, sed potu solum, qualecunque fuerit, sumpto, frequenter contingere soleat, & ita pariter in horum *Casuum* posteriore, sequente paroxysmo, quo Sal ammoniacum non fuerat usurpatum, contigerit. Uti vero hoc Medicamen memorata ratione sumptum nullum omnino vomitum movere, ita nec per alvum purgare, neque sudores elicere comperi, neque pariter, an per

diaphoresin seu perspirationem insensilem aut per urinas evacuet, ullis hætenus indiciis animadverti. Quod autem Humores corrigendo agat, id illud equidem phænomenon haud obscure indicare videtur, quod *Casu 23* a Fratre febricitante in se ipso observatum referam, nimirum *sumpto Sale Ammoniaci intra unius horæ spatium putidum illum atque nauseosum Salivæ saporem, quem sibi toto morbi decursu molestum senserat, maximam quidem partem correctum atque emendatum fuisse*: tantam enim, quanta huic effectui suffecerit, materiæ morbidiæ copiam hic a Sale Ammoniaci è Corpore fuisse expulsam, etsi nullis uspiam indiciis apparuerit, & his quidem temporis angustiis, quibus hoc tunc Medicamen Humoribus tantummodo permixtum fuerat, nemo, ut opinor, sibi facile persuaserit. Præterea hoc ipsum egregie confirmat altera, quam supra *Art. VI* notavimus, observatio, qua nempe constat, *eum ipsum paroxysmum, quo adventante Sal. Ammoniacum usurpari cæptum, inde frequenter admodum magnopere fuisse levatum atque imminutum*: is etenim effectus tam subitus, quo hoc Morbi allevamentum non in fine solum, sed toto passim paroxysmi decursu, & propterea brevissimo post Sale sumptum intervallo, productum fuit, alicui materiæ morbidiæ eiectioni adscribi non posse videtur, quippe, quæ ante paroxysmi declinationem, seu prius, quam sudor erumpat, sensibus saltem non deprehenditur, & quam tantillo tempore tantam, ut morbum maxime levare potuerit, & tamen insensilem fuisse, probabile non est.

Hæte-

Haëtenus de Salis Ammoniaci in Tertianis & Quotidianis intermittentibus curandis usu sat copiose dictum. De hujus autem Medicaminis in Quartana virtute a Fratre, qui me in hoc experimento prævenerat, & hic hujus quidem Remedii plus semel periculum fecerat, accepi, se ejus vires pertinaciori huic Morbo eradicando neutiquam pares observasse, & propterea ab ulteriore illius in hac Febre usu prorsus desistere. Quare quum mihi in ejusmodi observationibus summa ejus prudentia & circumspectio notissima esset, pariter jam omni successus spe abjecta, quod primo intenderam, hujusce Medicamenti hic amplius experiundi consilium repudiavi.

Misso vero *Salis Ammoniaci* ad Quartanas usu, in Tertianis tamen & Quotidianis curandis, ex iis, quæ supra demonstravimus, tanta, ut opinor, illius virtus elucet, ut in his quidem Morbis cum *Peruviano Cortice*, omnium excellentissimo, quæ haëtenus innotuere, Febrifugo, de præstantia contendere posse, cætera vero longe superare videatur. Si enim utriusque commoda cum incommodis contulerimus, Salem Ammoniacum aliis quidem dotibus Cortice inferiorem, aliis vero superiorem comperiemus, & hæc equidem ea, ni fallor, ratione comparata observabimus, ut quis omnibus utrinque rite pensitatis nec Sali favere, nec quidquam Cortici derogare videri possit, si neutrum alteri præferendum, utrumque vero in usu retinendum & alterutrum pro re nata usurpandum censuerit. *Peruviani* quippe *Corticis* virtus in hisce major est.

X.

Salis Ammoniaci in Quartanis intermittentibus curandis exigua virtus.

XI.

Salis Ammoniaci usus in Tertianis & Quotidianis curandis Cortici Peruviano si non præferri, jure saltem meritoque æquiparari potest.

1. Quod, etsi successuum constantiâ in Medica hæctenus Arte paucissima tantum Pharmaca *Sali Ammoniaco* æquiparari possint, constet tamen, *Corticem*, ut experiundo didici, illi eo quidem nomine antecellere; imo tanta operandi certitudine eminerere, ut nostram equidem expectationem centesimo vix casu fefellerit. Tametsi hujus constantia, quantacunque etiam fuerit, idcirco perpetua habenda non sit, uti vel solus *Mortonus* Medicus experientissimus & maximus *Corticis* Patronus docere poterit, qui se ter illius virtutem Intermittentibus depellendis imparem observasse, candide & ingenue fatetur.

2. Quod nonnunquam Tertianæ simplices Cortice Peruviano citius curari queant; quando nimirum vel in ipso paroxysmo vel paulo post ad Ægrum Medicus accesserit; tunc enim hujus Medicaminis usu confestim inchoato vel nulla amplius vel unica tantum Febris accessio recurret; cum in ejusmodi casu a Sale Ammoniaco, quippe quod haud ante proximi paroxysmi initium adhiberi potest, unica passim & interdum binæ etiam accessiones perferendæ restent.

E contra vero *Salem Ammoniacum* in his rursus *Cortici* præstare comperi.

1. Quod ab illius usu recidivæ omnino rarissimæ, à China China vero frequentissimæ fiant, uti in innumeris quidem Ægrotantibus expertus sum: nisi forte quis Cortice jam curatus per plures tamen hebdomadas ingentem pulverum ejus numerum, aut longe etiam majorem ejusdem Medicaminis

sub

sub alia forma parati molem devoraverit; quod equidem paucissimos præ maximo nauseosi Remediï toties repetiti fastidio & averfatione præstare aut posse aut velle quotidiana quemlibet experientia docere poterit. Quod hercle gravissimum hujusce Medicaminis incommodum, & tanto quidem gravius censendum, quod ab ejusmodi recidiva ejusdem Pharmaci ope curati nihilo majorem quam ante valetudinis securitatem adipiscantur; plures etenim hac ratione ter quaterve relapsos, neque tum etiam recidivâ ulteriore immunes observavi, ita ut nonnulli valetudinis adeo incertæ & morbi toties recurrentis pertæsi, repudiato Cortice, certius salutis præsidium in alio tandem Medicamine quæfiverint.

2. Quod illæ quidem Tertianæ duplices & Quotidianæ, quarum accessiones diu durantes se invicem celeriter insequuntur, exiguo tantum relicto intervallo, quo Ægri ad quietem & corporis a Febre quassati refectioem indigent, passim multo citius & commodius Ammoniaco Sale, quam China China curari possint. Cum enim Cortex non nisi in ipsa Febrium intermissione adhiberi debeat, illiusque usus & certis adstrictus intervallis & sæpe repetendus sit, pro hoc equidem hic illud, quod paroxysmos separat, tempus, neque sat longum, neque satis commodum relinquatur: quare plures paroxysmos Ægrum perpeti necessum est, ante, quam tantam istius Medicaminis copiam consumpserit, quanta quidem Febri omnino suppressendæ suffecerit.

3. Quod

3. Quod Tertianæ & Quotidianæ interdum unâ & passim binis Salis dosibus curari soleant; cum istiusmodi Ægri sex septemve & nonnunquam multo pluribus Chinæ Chinæ pulveribus ad earundem curationem egeant, atque ita eam, quam ex Medicamentis sumendis capiunt, molestiam tanto sæpius subire, ac tædium inde ortum vincere necessum habeant.

4. Quod si non cunctis saltem quamplurimis multo sit facilius pauxillum Liquoris gulam celerime transeuntis, in quo Sal Ammoniacum penitus solutum atque liquatum offertur, sorbere, quam Pulverem ex ore difficulter amoliendum, & tantæ quidem molis, quantæ illi, qui ex Cortice parantur, devorare. Utriusque enim Medicaminis sapor, cum in altero amarissimus, in altero vero falsissimus sit, æquali ferme incommodo molestus vix ullum in delectu discrimen affert.

5. Quod etsi me nullam hæctenus noxam, nullumve morbum ex recto atque legitimo Chinæ Chinæ usu prognatum vidisse confitear, licet illud jam per 15, & quod excurrit, annorum spatium sæpissime adhibuerim, multæ tamen, quæ hunc Corticem suspectum reddant, historiæ ubique fere circumferantur; unde in his saltem Regionibus enatum est tantum in ejus usum præjudicium, ut eum multi etiamnum vehementer ac pertinaciter respuant, nec a sua se opinione dimoveri patiantur, atque ita Medicis vel invitis alio omnino Medicamento utendi necessitatem impendant. Cum e contra hisce temporibus de Sale Ammoniacico nihil tale, nullumve cuiquam præ-

præjudicium hæreat, nec ullus sit inde mali futuri metus.


Quæ cuncta, nisi me vehementer fallat animus; ejusmodi sunt, ut illis rite ponderatis, *Sal Ammoniacum* in Tertianis & Quotidianis curandis posset ab æquo rerum Arbitro *Cortici Peruviano* si non anteferri, summo saltem jure atque merito æquiparari.





OBSERVATIONES
DE
VIRIBUS & USU
SALIS AMMONIACI

A D
Febres Tertianas & Quotidianas
Intermittentes
CURANDAS.



CLASSIS I.

qua continentur


Observationes XXVIII

de

Tertianis & Quotidianis Intermittentibus

SALE AMMONIACO

feliciter curatis.



SECTIO I.

Quæ de *Tertianis Simplicibus* Sale Ammonia-
co curatis Observationes XXII continet.

Art. I. *In quo Observationes VIII de Tertiana Sim-
plici in Adultis unâ tantummodo Salis Ammo-
niaci dosi curata.*

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

OBSERVATIO I.



Virgo ad triginta circiter annos nata
VII Octobr. ad vesperam in Ter-
tianam incidit; cujus deinde ac-
cessiones haud eodem stato diei
tempore recurrunt, ast tanto bre-
vioribus intervallis, ut XVII^{mo} e-
jusdem Mensis die jam tum hora
oëtava matutina ægrotantem corripere-
ret. Tunc, cum
nostram imploraret opem, ei *Salem Ammoniacum*
ad ðiv sub proximi paroxysmi initium aut paulo
ante sumendum præscripsi; cujus tanta quidem vis
fuit, ut eâ, quâ tunc temporis afflictabatur, ac-
cessione finitâ nullam postea Febrem experta fue-
rit, ast mox absque ullo alio Medicaminum usu
perfecte convaluerit.

Casus I.
Ao. 1702.

OBSERVATIO II.

Mulier sexto & trigesimo ætatis anno Tertianam
nacta & quatuor illius paroxysmos perpeffa, qui
non bidui spatio, sed circumactis tantummodo
tribus & quadraginta horis revertebantur, XI Mar-
tii, quamprimum Febrem redeuntem animadver-
tit, mox nostrum secuta consilium *Salem Ammo-
niacum* ad ziss in liquore dilutum hausit; unde
quidem frigoris duratio fuit multo quam ante bre-
vior, subsequens autem æstus & sitis gravior. Ni-
hilominus XIII ejusdem Mensis nulla, quam me-

Casus 2.

Ao. 1703.

44 OBSERV. DE SALIS AMMON.

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

tuebat, Febre, ast aliquo tantum caloris incremento tentata pristinam sibi valetudinem ab eo tempore redditam ac restitutam sensit.

Casus 3.

Ao. 1703.

Agricola annum agens secundum & trigessimum Febre afficitur, cujus itidem accessiones, cum diebus alternis redeunt, pristinum invadendi momentum per aliquot horas anteverunt. Is autem, cum XXIV Martii quintum paroxysmum jam ingruentem præsentiret, ex præcepto nostro confestim *Sale Ammoniaco* ad ziss in Aqua dissoluto usus, tam admirabilem ejus effectum expertus est, ut paulo post adventans Febris vix semihora elapsa à Medicamine victa decesserit, nec unquam postea reversa fuerit.

OBSERVATIO III.

Casus 4.

Ao. 1703.

Mercatori, qui 1x Maji & anno vitæ tertio ac quadragesimo prima Tertianæ accessione correptus fuerat, *Salem Ammoniacum* ad ziss fumendum præcepi, cum primum scilicet alterius paroxysmi adventantis indicia persentisceret. Quo facto is hujus consilii eventus fuit, ut postridie ejus diei saporem quidem oris amarum, deinceps vero nullam omnino Febrim fuerit expertus.

OBSERVATIO IV.

Casus 5.

Ao. 1703.

Uxori cujusdam Mercatoris annos circiter qua-
dra-

OBSERVATIO V.

draginta natæ, quæ in Tertianam implicita jam tres quatuorve illius accessiones sustinuerat, xxvi *Maggi* iv *Ammoniacy Salis scrupulos* præbui, simulatque recurrente Febre tentari inciperet; & eo quidem successu, ut mox in hoc ipso paroxysmo debilitata Morbi vis multo mitius quam ante ægrotantem affligerit, immo exinde usque adeo fracta fuerit, ut ab eo statim tempore Febris eam penitus dereliquerit.

SECT. I.
De Tertianis simplicibus hoc Sale curatis.

OBSERVATIO VI.

Casus 6.

Consul Urbis Stenovici in Transsylvania annum ætatis agens tertium & trigessimum, xv *Junii* hora octava matutina Tertiana laborare cœpit; cujus paroxysmus horarum 43 & $\frac{1}{2}$ circuitu recurrens xvii^{mo} ejusdem mensis die & horæ quartæ nocturnæ medio accessit, levi tantum frigore, ast gravioribus carniū dorsum & artus circumvestientium motiunculis stipatus, subsequente deinde calore & capitis dolore, sed neutiquam gravi, cœterisque consuetis hujusce Febris effectis; quibus cum ægrotum exercuisset, hora duodecima meridiana decessit. Postridie vero ope nostra usus, potiunculam ex *Sale Ammoniaco* ad ʒiʒ in aqua liquefacto, noctu febre incipiente sumendam, paravit. Quod quidem ei remedium tantopere profuit, ut non solum ea, quæ mox ejus usum insequebatur, accessio multum fuerit levata, sed & illico pluribus exinde pustulis circa labia erumpentibus tota vis morbi radicitus extirpata.

No. 1703.

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

Casus 7.
Ao. 1703.

OBSERVATIO. VII.

Pistor annum circiter ætatis sextum atque trigesimum gerens, xvii *Augusti* mox à meridie Febre cœpit affici, à qua ei artus inferiores præsertim circa genua ita ab initio diriguere, ut eos sine difficultate movere non posset: hoc symptoma frigus inscutum, deinde calor cum cephalalgia conjunctus, denique sudor, lumborumque dolor, quibuscum hæc morbi scena fuit terminata. xix *Aug.* mane circa mediam decimam altera rediit accessio prior gravior, ast in principio non ut ante artuum rigore, sed capitis dolore molesta: mox deinde frigus subsecutum horæ circiter spatium durans: hoc calor excepit, atque vehemens capitis dolor: elapsis duabus post meridiem horis sudor erupit, atque una cum lumborum dolore ad quintam usque perstitit: quo scilicet tempore Æger se Febre jam immunem reputans è lecto quidem surrexit, attamen Capitis dolore in fronte quammaxime circa supercilia hærente & ex Corporis motu, præsertim ab incessu, ingravescente per totam etiam vesperam afflictus fuit. Vomitus in hoc morbo nullus, nisi quod Æger in hocce paroxysmo sumptum aquæ haustum post horæ quadrantem denuo rejecerit. Ciborum appetitus in ipsa Febris intermissione mediocris, in accessione nullus. Cum autem xxi *Aug.* circa mediam decimam matutinam tertius hujusce Febris paroxysmus recurrere, & primo artus inferiores, ita ut in ipso morbi initio, sed levius afficere, & mox deinde

deinde caput illis derelictis petere inciperet, con-
 festim jussu nostro *Salem Ammoniacum* ad ziss in
 potione dilutum & colliquefactum ebibit; tan-
 tumque in eo expertus fuit opis, ut hæc ipsa accessio
 prioribus non solum mitior & cum minore capitis
 dolore conjuncta fuerit, atque pustulæ (quæ sæpe
 solent esse Febris discessum parantis indicia) cir-
 ca nasum in exteriori cute erumpere, illiusque in-
 terior membrana tumescere cœperint, sed & dein-
 de nullam amplius Febrim expertus, ast **XXIII**
Aug. levi solummodo capitis dolore tentatus, quem
 ex eo, quo tunc se exercuerat, labore prognatum
 existimabat, ita quidem expectatione sua multo
 celerius pristinam omnino sanitatem recuperaverit.

SECT. I.
 De Tertia-
 nis simpli-
 cibus hoc
 Sale cura-
 tis.

OBSERVATIO VIII.

Casus 8.

Uxor cujusdam Verbi Divini Ministri jam gran-
 dis natu, mense *Septembri* in Tertianam implicata,
 cum duos ejus paroxysmos per 5 vel 6 horas du-
 rantes experta fuisset, nostro consilio, tertiâ ac-
 cessione adventante, mox *Salem Ammoniacum* ad
 ziss in Aqua dissolutum hausit; à cujus usu, ut
 postea intellexi, illa quidem phlegmata ingrati sa-
 poris in os sibi sæpius adscendere conquesta, ast
 Tertianâ omnino liberata fuit. Interea tamen, cum
 præter Febrim Corpore vitiatis humoribus infirmo
 laboraret, & ulteriorem sui curationem negligeret,
 non tantum depulsâ jam Tertianâ valetudine mi-
 nus commoda usa est, sed & proximo mense in
 Febrem continuam incidit, ut nostram rursus
 opem

Ao. 1703.

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

opem implorare coacta fuerit. Sed hujus morbi curationem, à scopo quippe nostro alienam, heic subjungere necessum non est.

Art. II. *In quo Observationes VIII de Tertianis Simplici in Adultis duplici Salis Ammoniaci dosi curata.*

Casus 9.

OBSERVATIO I.

Ao. 1703.

Juveni, cum XIX circiter annos haberet, per trimestre quidem spatium Tertianis laboranti, IX Julii Salem Ammoniacum ad ʒiſs in aqua dilutum mox accedente paroxysmo, cujus reditum tunc temporis opperiebatur, fumendum præscripsi; cujus efficacitate hæc ipsa accessio multum levata Ægrum longe minus quam ante afflixit. Cum vero XI Julii nova accessione redeunte eadem ejusdem Salis dosis simili ratione iterata fuisset, Febris hujus viribus resistendo impar penitus discessit, atque ita Æger protinus convaluit.

Casus 10.

OBSERVATIO II.

Ao. 1703.

Nobilissima Matrona annos magis quadraginta nata XXVI Julii minus recte valere, & tota porro nocte ex gravi capitis dolore, nausea continua, atque irritis ad vomendum conatibus ægrotare cœpit. Postridie vero morbi rursus expers visa: ast XXVIII Julii hora nona matutina altera accessio reversa, manifesta præ se ferens Febris indicia; primo enim frigore & nausea, deinde siti, & levio-
re

re quam ante cephalalgia, aſt gravi dorſi crurumque dolore afflixit, & copioſis tandem ſudoribus elapſo 12 horarum circuitu deceſſit. Varia tunc à Medico præſcripta Medicamina, ut Pulveres præſertim ex *Bezoart. min.*, ac *Salibus Abſinth. & Card. bened.* compoſiti, & Potio ad vi circiter *uncias* ex iisdem unà cum *Sale Prunell.*, *Croco*, *Ol. Nuc. Moſch. expr.*, *Sale volat.*, *Conf. Alcherm.*, & *Aquis deſtillatis*, conſecta; ſed vix, ut patebit, uſurpata. Cum enim xxx *Julii* mane hora media ſexta Febris fat vehemens, aſt cum levi frigore celeriterque recedente recurreret, in ipſo acceſſionis initio ex dictis quidem Pulveribus unum adhibuit, ſed mox ruruſum evomuit: porro gravis ſucceſſit æſtus: &, cum hora primum octava, atque iterum decima, de memorata Potione cochlear unum alterumve ſumpſiſſet, multus ei ſudor erupit ad ſextam uſque veſperthinam perſiſtens, & unà cum Febre tum demum deſinens: totum vero paroxyſmum continuo fere ſtomachi dolore & anxietate ſubinde ingraveſcente & remittente afflicta transigit, pulſumque pariter nunc magis nunc minus acceleratum habuit. I *Auguſti* acceſſio rediit crebro ad finem uſque vomitu moleſta, quo & *Ægra* Pulverem in principio ſumptum impetu vehementi celeriter rejecit, & pariter, quidquid deinceps de Potione medicata hauſerat, evomuit. Immo finita etiam Febre nauſea non deſiit. III *Auguſti* eam jam tum noctu paroxyſmus aſt levior corripuit; hoc tamen hora ſexta matutina jam finito in animi deliquium incidit. *Poſtridie ejus diei* ſub veſperam acceſſio ſu-

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

periori similis recurrit, atque unà cum sudore in
ejus declinatione erumpente vix ultra 5 horas per-
stitit. In utroque hoc paroxysmo frigus breve fuit,
fitis autem & æstus graves, nausea etsi remissior quam
ante, continua tamen, nec in ipsa Febris inter-
missione desinens. Atque hac fere ratione conti-
nuata Febris; donec x *Augusti*, appropinquante
paroxysmo, primò Medicamine ex *Laud Opiat.*
gr. i., *Sal. Absynth. ði*, & *Ol. Nuc. Mosch. expr. gr.*
xvi, ab eodem, de quo ante, Medico ad vomitum
cohibendum præscripto usa, de nostro porro con-
silio *Salem Ammoniacum* ad *ðiv* in aqua liquefactum
sumpserit, atque illud, cum per bihorium reti-
nuisset, tum demum, vel ex parte saltem, unà cum
vi fere bilis *unciis* vomitu rejecerit; quo factò, mo-
lestissimo hoc nausæ & vomitus symptomate pror-
sus liberata paroxysmum itidem levem, etsi fere pari
ac ante spatio terminatum habuit. *xii Augusti* ean-
dem *Salis Ammoniaci* dosin ingruente Febris acces-
sione repetiit, eamque multo quam ante levio-
rem experta fuit. Postridie Vinum quidem Medicatum
ex *Herbis Stomachicis & Febrifugis* præscriptum,
sed jam ante ejus usum Febris Ægrotantem re-
liquit, atque ejus valetudinem infestare de-
fiit.

Casus II.

OBSERVATIO III.

Mo. 1703.

Virgo quadragesimo circiter ætatis anno in Ter-
tiamam incidit, & quinque vel sex illius accessio-
nes sustinuit, quæ gravi capitis dolore infestæ
&

& elapso 12 horarum spatio decedentes, non bidui sed breviori circuitu revertebantur. Febre vero intermittente recte valuit. Tum autem hujusce morbi pertaxa 1v *Septembris* me accessit, ut præsens ad hoc malum remedium quæreret, & ex nostro præscripto *Salem Ammoniacum* ad 3iβ proxima nocte sumpsit, cum nempe paroxysmum jam ingruentem animadverteret; quo factò vix ullum eam frigus affecit, ast calor unà cum capitis dolore toto die perstitit. Quamobrem, cum me postridie consuleret, ejusdem Medicaminis usum iterandum censui: Quod & proxima nocte fecit, cum nempe levem Corporis alterationem sentiens novam accessionem adventare putaret; ast *Sale* sumpto mox somnus ei obrepit, & mane expergefacta bene sese habuit, neque ulla amplius Febre vexata convaluit.

SECT. I.
De Tertianis simplicibus hoc Sale curatis.

OBSERVATIO IV.

Casus 12.

Consul Urbis Stenovici, Vir sexagenarius & Podagra bis terve in anno graviter affectus, postquam xvii *Septembris* tempestate aliquanto frigidore in cubiculo foco destituto cum aliis sermonem per aliquot horas produxerat, octava vespertina domum reversus & algens ægrotare cœpit, & quæ ventriculo continuerat, vomitu rejecit: postridie vero recte rursus valuit. Ast xix *ejusdem mensis* hora media sexta Febris recurrit, & primo horrore atque rigore, deinde calore, capitis lumborumque dolore, aliisque manifestis se prodidit indiciis. xxi *Sept.*, hora circiter 12^{ma}, tertia Fe-

Ao. 1703.

Sæct. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

bris accessio reversa, non solum horrore atque rigore, sed frigore acerrimo, ac si totum ubique Corpus aqua gelida subito perfusum fuisset, ægrotantem concutere exorsa. Quare *xxiii Sept.* tempore matutino nostro consilio usus confestim *Salem Ammoniacum* ad *zß* aquâ dissolvere iussit; ast, cum mox, hora nempe nona, paroxysmus eum subito atque inopinato invaderet, *Salem* hunc in aqua nondum liquefactam protinus hausit, & gravi rursus frigore rigit. *xxv* ejusdem mensis eandem *Salis Ammoniaci* sed prius in aqua liquefacti dosin mox adventante Febre repetiit, attamen hac accessione licet ultima sat gravem illius vim sustinuit: exinde enim nullum amplius Febris aut valetudinis indicium fuit expertus, atque ita in antiquum sanitatis statum omnino restitutus.

Casus 13.

OBSERVATIO V.

Ao. 1703.

Vir circiter quintum & quinquagesimum agens annum, qui antea Bataviæ in India Orientali Centurionis munere functus erat, cum per tres fere septimanas appetitum prostratum senserat, *v Octobr.* jam vespere Febre cœpit affici, quæ, cum in multam noctem perstiterat, decessit. *vii Octobr.* Febris rediit, & primo horrore atque tremore, ast levitantum frigore & per 7 vel 8 minuta tantummodo durante, deinde vero cephalalgia atque gravi lumborum dolore, usque dum abierit, ægrotantem exercuit. *ix Octobr.*, cum suomet ipse consilio *Extracti Absynth.* *zß* sumpsisset, Febris tamen hora
deci-

decima matutina priori plane similis reversa. Appetitus, uti jam antea maxime languit, ita & toto morbi decursu propemodum abolitus perstitit. XI *Octobr.* quum noctu à phlegmate è naribus in fauces delapso vomitu satis vehementer correptus materiam quandam nigram sapore dulcem & in aqua liquecentem rejecisset, mane hora media nona Febrem iterum ingruentem sensit, & ex nostro tum præcepto *Salem Ammoniacum* ad ziss cerevisia dissolutum confestim hausit; at semihora fermè elapsa illud, illiusve partem, ita uti sumpserat, absque ulla alia materia admista vomitu reddidit. Paroxysmus tunc quidem brevis, ast prioribus multo vehementior & cum delirio conjunctus, in copiosissimum sudorem exiit, atque una cum eo hora secunda postmeridiana desuit. XIII *Octobr.* mane hora septima redeunte Febre, eandem *Salis Ammoniaci* dosin repetiit, sed rursus, ut ante, post semihoram oborto vomitu, cæteroquin tunc temporis neutiquam molesto, illius in ventriculo residuam partem ore rejecit. Accessio etsi, ut ante, cum delirio conjuncta, præcedente tamen multo mitior breviorque, jam ante meridiem media undecima fuit terminata. XV *Octobr.* haud alio incommodo nisi levi tantum horrore tempore matutino per quadrantem horæ affectus, nulla præterea Febbris indicia sensit, atque ita ab hoc morbo relictus, penitusque curatus permansit.

SECT. I.
De Tertianis simplicibus hoc Sale curatis.

SECT. I.
De Tertianis
simplicibus hoc
Sale curatis.

Casus 14.
Ao. 1704.

OBSERVATIO VI.

Mulier trigesimo circiter vitæ anno Febris Tertianæ paroxysmo bis afflictata, xxiv *Februarii* mane paulo ante tertiam Febris accessionem de nostra sententia *Sale Ammoniaco* ad ziss in aqua diluto usa, horrore tamen atque tremore vehementi, & gravi admodum Febre correpta fuit. Nihilominus nostro nixa consilio, xxvi *ejusdem mensis*, paulo ante illud temporis momentum, quo quarti paroxysmi recursum metuit, eandem *Salis Ammoniaci* dosin iteravit: nec ejus spem fefellit eventus, dum post hujus usum nulla omnino Febre, ast eo ipso tempore aliquo tantum capitis dolore tentata fuerit, atque ita ab hoc morbo cito penitusque curata convaluerit.

Casus 15.

OBSERVATIO VII.

Ao. 1704.

Vir annos ferme triginta natus, cum duos Tertianæ paroxysmos neutiquam graves expertus fuisset, xviii *Martii*, tertiâ accessione bihorio ante illud diei tempus, quo prior accesserat, recurrente, præscriptum à nobis ad ℥v & in aqua liquatum *Ammoniacum Salem* protinus hausit; at duabus post horis hujusce Medicaminis partem vomitu rejecit. Gravis interim paroxysmus vehementer admodum ægotantem afflixit. Attamen xx *Martii* egregius Salis effectus clarissimè patuit; cum enim hora octava matutina, quâ circiter Febrem redituram

ram existimabat, eandem *Salis Ammoniaci* dosin iterasset, haud aliud incommodum præter ventriculum à Medicamine perquam oneratum expertus, sese jam à Febre liberatum advertit, neque ulla deinde valetudinis vestigia relicta sensit.

SECT. I.
De Tertianis simplicibus hoc Sale curatis.

OBSERVATIO VIII.

Casus 16.

Juvenis annum gerens ætatis sextum & vigesimum, cum per aliquot dies rusticatus intemperanter vixisset, atque se cibis, vino, illiusque spiritu & cerevisia pinguiore frequenter & avidè ingurgitasset, xx *Augusti* nausea & vomitu correptus, porro in Febriculam vigiliis, æstu & aliis incommodis noctu præsertim infestam incidit; in quem etiam morbum alter ejus socius ex eodem vitæ genere paucis ante diebus implicatus fuerat. Quamobrem hisce molestiis nequaquam remittentibus, post octiduum sese ad medicaminum usum convertit, & *Nitri fixi* zij bidui spatio consumpsit; inde febricula liberatus sese quidem melius habuit, corpore tamen & animo magnopere languens vi vel vii *Septembris* ex Febre intermittente laborare cœpit: præscripto vero *Peruviani Corticis* usu, cum eo, quo Febris intermittebat, tempore vi ejus *dragmas* usurpasset, morbo depulso rectius se habuit, & , ut recidivam præcaveret, octiduo post dimidiatam ejusdem medicaminis dosin repetiit, & pristinum interea corporis habitum atque vigorem recuperavit. Verum enim vero, cum iv *Octobr.* se ab *Asellis minoribus* etsi à me serio prohibitis non continuif-

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

tinuisset, immo his quidem ventriculum onerasset, postridie, uti & sequente, quo diu in pluviis incesserat, die febricula correptus est; & porro VII & IX *Octobr.* in paroxysmum fat gravem, medio vero inter utrumque die in accessionem valde levem, atque ita in Tertianam duplicem incidit; quæ tamen X *Octobr.* iterato *Corticis* usu & VI ejus *dragmis* adhibitis celeriter fugata discessit. Hic tamen nondum hujusce morbi finis. Etenim XXVIII *Octobris* rursus valetudine tentari, & postridie circa meridiem paroxysmo febrili perquam gravi, & simul crebro vomitu bilioso, alvi profluvio, atque sudoribus mox in ipso accessionis initio erumpentibus affligi cœpit. XXX *Octobr.* levissima tantum Febris accessio: postero vero die paroxysmus vomitu iterum & alvi fluxione, sudoribusque penultimo similis, & eadem quoque hora exorsus, ægrotantem exercuit. I *Novembr.* Febris expers recte valuit; ast postridie ejus diei paroxysmus priori similis, eademque iterum hora recurrit. Capto ergo nobiscum consilio, IV *Novembr.* dimidia ante Febris adventum hora *Salem Ammoniacum* ad ℥v in aqua liquefactum adhibuit, atque mox ejus virtute paroxysmum tunc temporis levatum advertit; quare VI *Novembr.* eadem hora eandem istius *Salis* dosin repetiit, tuncque paroxysmum multo magis diminutum & vix tribus elapsis horis decedentem habuit. VIII *Novembr.* Febris accessio sed levissima rediit, & uti jam ei auguratus fueram, vix unam & dimidiam horam perstitit. X *Novembr.* nulla eum Febris, ast aliquis tan-

tantum capitis affecit dolor. Atque ita tandem hic morbus penitus extirpatus ægrotantem dereliquit, neque ullam postea recidivam genuit.

SECT. I.
De Tertianis simplicibus hoc Sale curatis.

Art. III. *In quo Observationes IV de Tertiana Simplici in Impuberibus & Infantibus, vel unâ, vel duabus Salis Ammoniaci dosibus curata.*

OBSERVATIO I.

Casus 17.

Jurisconsulti cujusdam in Drenthia Filiolæ, quum exacto octavo ætatis anno per aliquod tempus Tertianâ laborasset, cujus accessiones brevioribus quam bidui circuitu revertebantur, xxiv Aprilis, rogatu Parentis, *Salem Ammoniacum* ad ʒi in aqua dissolutum paulò ante proximi paroxysmi adventum hauriendum præcepi; nec diu post tantum hujusce Medicaminis successum intellexi, ut Febris illius ope depulsa, & prospera Puellæ valetudo restituta fuerit.

Ao. 1703.

OBSERVATIO II.

Casus 18.

Puellula ad tres circiter annos nata, crasso atque obeso corporis habitu, quum 14 fere dies ex Tertiana ægrotasset, atque me Parentes xxi Octobr. de celeri faciliq; ad hoc malum remedio consulissent, proxima nocte, cum primum Febrem recurrentem cernerent, *Ammoniacum* ei *Salem* ad ʒij in liquore dilutum præbuerunt; cujus virtute

Ao. 1702.

H

mor-

58 OBSERV. DE SALIS AMMON.

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

morbi impetus ita retusus, ut alter à Sale sumpto paroxysmus mitius quam ante, atque æstu minore Puellulam affligerit. Porro xxvi *Octobr.* eo quidem tempore, quo Febris reditum opperiebantur, idem *Salis* usus ad *Ûijß* fuit iteratus; eo quidem Medicaminis successu, ut vix tunc Febris vel saltem non nisi levissime recurrere, atque deinceps penitus Filiolam relinquere visa fuerit.

Casus 19.

OBSERVATIO III.

Ao. 1702.

Eadem Puella à Febre liberata, atque *undecim* dierum spatio recte valere visa, vi *Novembr.* in paroxysmum febrilem recidit; & propterea viii *eiusdem mensis die*, cum accessionem iterum ingruentem sentiret, *Ûijß Salis Ammoniaci* in aqua liquefacti celeriter hausit; ast, cum hoc Sal per errorem in æreo mortario contritum quasdam fortasse metalli particulas solvisset, accidit, ut paulo post in vomitum inciderit, atque ita nonnullam hujus Medicaminis partem procul omni dubio rejecerit. Id tamen haud frustra sumptum docuit eventus; siquidem Febris x *Novembr.* multo quidem levior, & xii, nec non xiv *eiusdem mensis* levissima tantum redierit, & ab eo tempore Puellulam penitus curatam reliquerit.

Casus 20.

OBSERVATIO IV.

Ao. 1704.

Filiolus Mercatoris, 14 aut 15 mensium infans, quem molestiæ ex dentium eruptione natæ per dies
ali-

aliquot affecerant, cujusque scroto natibusque inde major, ut solet, orta fœcum & urinæ acrimonia jam à triduo cuticulam eraserat, xxxi *Januarii* insolito torpore atque somnolentia languere, postridie vero se melius habere visus est. ii *Februarii* altera morbi accessio faciei pallore atque artuum tremore exorsa, illum deinde consuetis Febris molestiis afflixit: postero vero die, ita, uti antea, recte valuit, & tum *Epicarpium* ex *Terebinthina* & *Caphura* confectum & carpo utrique sub vesperam applicatum habuit. iv *Febr.* ferme sine tremore Febris, cætera tamen priori similis accessit, & porro alternis diebus constanter recurrere perstitit, nisi quod xvi *Febr.* duobus continuis diebus, etsi deinde rursus alternis, redierit. Atque ita se res habuit, donec Parentibus huic morbo remedium postulantes, xxv *Febr.* *Salis Ammoniaci* ὄβ paulo ante Febris adventum Parvulo in pulve offerendum curaverim: quo facto paroxysmus quidem brevius, quam ante afflixit, attamen postridie necopinato rediit; atque ita tunc temporis Medicaminis nondum parati usus iterari non potuit. xxvi i *Febr.* nulla quidem Febris, postero vero die prægressis haud dissimilis reversa; tum autem Puerulo mox in ipso accessionis initio *Sal Ammoniacum* ad gr. xiv simili ac ante ratione datum. xxix *Febr.* nulla rursus Febris; & triduo exinde secuto illius quidem aliqua indies accessio rediit, sed hoc tempore circumactò penitus discessit; atque ita hoc malo liberatus Infans protinus convaluit.

SECT. I.
De Terti-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

Art. IV. *In quo Observationes II de Tertianâ Simplici in Adultis, unâ vel alterâ Salis Ammoniâ dosi, adjuncto Vini Medicati usu, curata.*

Casus 21.

OBSERVATIO I.

Mo. 1703.

Vir quidam honoratus, corpore obesus, & ab aliquot retro annis nimia interdum Spiritus Vini copia usus, cujus ætas jamdum decies septenos Solis anfractus reditusque converterat, xxiv Maji hora decima matutina frigore, horrore atque tremore correptus in Febrim intermittentem incidit; cujus accessio interjecto biduo ad septimam vespertinam rediit, & nullo quidem tremore, ac levi solum frigore, mox vero non tantum calore, siti, capitis dolore, cæterisque consuetis Febris indicibus, sed & urinæ incontinentiâ Ægrotantem afflixit. Quamobrem xxviii Maji nostro consilio & adjumento usus, quum proxima nocte hora media tertia Febrem rursus adventantem animadverteret, mox *Salem Ammoniacum* ad ʒiβ in aqua dissolutum adhibuit; Hujus autem accessionis initio frigus solummodo pedes adstrinxit, inde vero gradatim se sursum atque ita in totum omnino corpus diffudit; deinde non solum æstus, siti, urinæ incontinentia, cæteraque, ut ante, symptomata secuta, sed & gravis insuper præcordiorum anxietas: decima vero matutina, decrescente Febre, somnus obrepfit, eumque Æger ad vesperam extraxit. xxx Maji, quum

quum corpore senili pridiana febre quassato maxime langueret, & propterea ejusmodi pharmacum vehementer expeteret, quod ipsi posset torporem excutere, corpus roborare, & feбри simul resistere, idcirco hoc quidem ei Vinum Medicatum præscribere visum est.

SECT. I.
De Tertianis simplicibus hoc Sale curatis.

℞ *Rad. Helenii, Gentianæ,*
Lign. Colubrini an. ℞zj.
Herb. Menthæ, Cardui benedicti an. M℞.
Summ. Absinthii, Centaurii minoris,
Flor. Chamomillæ an. P. i.

Hisce concisis & contusis quum ante meridiem Vinum Gallicum ad sibi aut paulo majore copiâ fuisset affusum, ab Ægro hora quarta pomeridiana tres illius unciæ usurpari cœptæ. Nocte proxima, fractis jam morbi viribus, nec frigore laborans, neque aliis consuetis Febris incommodis, solam sitim atque anxietatem sat gravem expertus est, atque inde sibi ex febricula laborasse visus. Biduo sequente, nimirum *ultimo Maji & 1^{mo} Junii* ter quotidie tres Vini Medicati unciæ ab Ægrotante sumptæ. Nocte proximâ, horâ secundâ ultima Febris accessio & quidem cum frigore rediit, ast leviter solum, neque ullo horrore aut rigore, neque tantâ, ac antea, anxietate ægrotum afflixit. Exinde vero nulla amplius Febre tentatus, totâ solummodo nocte, quæ v^{tum} *hujusce mensis diem* præcessit, usque ad horam decimam matutinam interno frigore, quum externe caleret, subinde ingravescente atque remittente, nullis autem aliis molestiis

62 OBSERV. DE SALIS AMMON.

SECT. I.
De Tertia-
nis simpli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

affectus est. VII Junii pedum ei tumor œdemato-
sus obortus, qui vesperi aggravescens, triduo tamen
elapso disparuit; & deinde quidem XIX Junii re-
diit, ast levi solummodo purgatione paucisque re-
mediis quotidie decrescens sensim evanuit. Atque
ita omni depulsâ morbi molestiâ Ægrotanti pristi-
na reddita salus.

Casus 22.

OBSERVATIO II.

AO. 1702.

Mulier plurium liberorum mater, annum agens
quintum & vigesimum, ab ultimo puerperio per
integrum anni spatium, incertis quidem intervallis,
pungentibus ab epigastrio ad umbilicum doloribus,
subsequente faucium constrictione atque anxietate,
afflictata, interea temporis in Febrim etiam tertia-
nam incidit; atque eâ tandem liberata, unâ cum
appetitu prostrato memoratos dolores magis ingra-
vescentes experta fuit; donec XXII Septembr. po-
tione seu *mixturâ*, ut ajunt, *antihysterica & sudorife-
râ*, quam ei præscripseram, usurpatâ, mox inde
hoc malum usque adeo levatum adverterit, ut se
jam plane curatam neque ulteriore Medicaminum
ope egentem existimaret. Nihilominus hoc mor-
bo nondum radicitus evulso memorati dolores unâ
cum faucium anxietate postea reversi fuere, ad
quos iterum, ut ante, circa *Octobris* initium ter-
tiana Febris sub vesperam recurrens accessit, oris
interim anhelitu fœtidum & simul subacidum odo-
rem spirante, urinâ crassâ atque pituitæ refertâ. Huic
ergo, cum nostram rursus opem implorasset, IX
Octobr.

Octobr. hunc quidem horum Medicaminum usum præscripsi.

SECT. I.
De Tertianis simplicibus hoc Sale curatis.

℞ *Laud. opiat. gr. iij*
Croci, Castorei an ℥i
Assæ fœtidæ, Gumm. Ammoniâci an ℥ß

Cum q. s. *Elix. Propr. M. F. Pilulæ N° xv*, de quibus quotidie mane, cum Febris cessaverit, tres capiat *Æger*.

℞ *Rad. Gentianæ, Helenii, Dictamni Cretici an. ℥ij*
Lign. Colubrini ℥ß
Herb. Cardui benedicti, Menthæ, Pulegii an Mi.
Summ. Absinthii, Centaurii minoris an. P. i.
Sem. Siliris montani ℥ij.

Quibus concisis & contusis ac deinde vasi vitreo inditis affundantur Vini Gallici ℥b iii, atque per unum alterumve diem in loco calido detineantur: tum vero extra paroxysmum de hoc Vino tres *uncia* *Ægrotanti* quotidie ter exhibendæ, ac tempore matutino illius usus mox, sumptis Pilulis, erit inchoandus. Consumptis autem hisce Medicamentis, dimidiâ ante Tertianæ adventum horâ *Salem Ammoniacum* ad ℥iß in aqua liquefactum hauriat, idemque Medicamen proximâ accessione repetat. Quæ cuncta quum ex nostro præcepto ritè essent perpetrata, *Mulier* & Tertianâ & reliquo Morbo, uti postmodum intellexi, liberata feliciter convaluit.

S E C T I O II.

SECT. II.
De Tertianis duplicibus hoc Sale curatis.

Quæ de *Tertianis Duplicibus* Sale Ammoniaco curatis Observationes II continet.

Casus 23.

OBSERVATIO I.

AN. 1707.

Charissimus piæ memoriæ Frater, ingenio, doctrinâ & experientiâ egregius profecto Medicus, & Urbis Vollenhovæ Consul, quum jam annos quadraginta compleisset, ibidem circa medium Mensis *Octobris* Tertianâ duplici corripitur, cujus phænomena adeo singularia & insolita fuere, ut mihi quidem operæ pretium visum fuerit, illius Morbi historiam ex ejus literis tunc temporis ad me datis excerpere, eamque heic in ordinem redactam proponere.

Prima Tertianæ accessio vesperè ad horam circiter quintam invasit, in principio haud alio quidem incommodo, quam aliqua Corporis perturbatione, seu interna atque insolita commotione (quam vulgo *alterationem* dicunt) sese manifestans, donec tribus post horis secuto paroxysmi vigore gravis in fronte & utroque occipitis latere (non autem in medio) dolor Ægrotantem corriperet. Postridie hora nona matutina successit altera accessio, primus scilicet alterius seu posterioris Tertianæ paroxysmus, nullo omnino Capitis dolore molestus. Atque sic ambo utriusque Tertianæ pa-
ro-

roxyfmi ea quidem ratione bis terve reversi, ut *Ægrotanti* neutiquam graves nullo quoque eum frigore, horrore, vel rigore affligerint, neque diu perstiterint; quum prior scilicet vesperè ad horam circiter octavam inciperet, & posterior ad sequentis diei meridiem desineret, *Æger* itidem, quum Febres decesserant, recte valere visus, immo sani adinstar comedere, atque cuncta ex ordine quotidiano peragere. Tum verò uterque paroxysmus subito atque vehementer aggravescere cœpit. Prior etenim accessio gravi cum æstu, ab octava vespertina ad primam nocturnam usque, *ægrotum* miserè jactans tunc in sudorem copiosissimum exiit, qui unà cum vehementissima siti per octo quidem horas perstitit, donec scilicet superveniens altera Febris illi finem imponeret; quæ equidem ab hora nona matutina ad mediam primam pomeridianam nulla quidem siti, nullis etiam doloribus, quales in *Tertiana* sentiri solent, & levi tantum ac sicco calore, atque terribili Corporis perturbatione atque interna commotione adeò vehementer *Ægrotantem* afflixit, ut etsi per 14 annos graves sæpe Febres expertus sit, nunquam tamen ullam cum hac quidem comparandam fuerit perpessus. Primo quoque hujus paroxysmi trihorio phænomenon admodum singulare & prorsus insolitum adfuit, quum nimirum quælibet tam inspiratio quam exspiratio ad $1\frac{1}{2}$ minuti tempus aut ad majus etiam spatium persisteret, & sub inspirationis cujuslibet finem Diaphragma tam alte descenderet, ut eum inde sensum atque imaginationem nancisceretur, ac si inspiratio seu po-

SECT. II.
De Terti-
nis dupli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

SECT. II.
De Tertia-
nis dupli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

tius inspiratione haustus aer sese deorsum infra umbilicum extenderet, & rursus sub cujuslibet expirationis finem exspirandi principium seu aeris exspirati origo tandem ad guttur usque ascendere videretur. Nullus ei interim alicujus in respirando difficultatis sensus, immo respiratio immane quantum liberior quam quidem in sanitate visa. Pulsus Cordis hoc tempore tardus, ast perquam validus, ita ut singuli ejus motus tam systoles quam diastoles maximâ vi atque robore peragerentur: in Corde tum etiam acres punctiones & vividi dolores sentiebantur, à sinistra papilla se oblique sursum & antrorsum ad sternum usque exporrigentes. Porro semihora à meridie gravi cum siti sudor secutus, & quantitate & diurnitate omnino prodigiosus: tantâ enim perpetuo copiâ erupit, ut continuis semper rivulis à fronte natibusque defluerit, atque per lectum cæteroque in subjectum usque stramen penetraverit, & istâ quidem vehementiâ ultra 24 horas persistit. Immo in harum accessionum utraque id quoque prorsus insolens atque maxime rarum, immo stupendum extitit, quod etsi semper in hoc morbo Saliva & Phlegmata prorsus omni falso sapore carerent, hic tamen sudor tantâ atque tam mirabili Salis copiâ fuerit refertus, ut non solum, quoties in os influeret, tam acri & infestâ falsedine, quam quidem vehementissima Salis Ammoniaci in paucissima aqua liquefacti muria, gustum afficeret, atque vel minima illius guttula, si forte in oculum incideret, eum ubique igneâ quasi vehementiâ roderet uretque, sed & præterea, quum versus paroxysmi

fi.

finem sudor decrefcere atque minui inciperet, mox in cryftallos concrefceret tantæ fere molis, quantâ vel Salis communis subtilioris, quale in noftris quidem menfis apponi folet, granula, vel quæ ex majoribus & integris iftius Salis cryftallis cochleari leviter fractis exfurgunt, paffim deprehendimus; & eâ quidem multitudine, ut ubique in barba non folum hærerent, fed & contigua fibi invicem granula totam fere faciem contegerent, imo ad nafi latera aliis alia denfè fuperftrata incumbent; & & quoties faciem ab illis purgari penitusque detergi curaffet, toties intra 7 vel 8 minuta novis rurfum Salis cryftallis obduceretur. Erantque hæc granula ita quidem comparata, ut digitorum contactu infar communis leviterque contriti Salis subrotunda, afpera, atque acuminata sentirentur. Cum tandem hic tam diutinus tamque vehemens sudor defiffet, vefperi rurfum prioris Tertianæ paroxyfmus Ægrum fimili ac ante ratione affecit; nec non posterioris accessio poft ridie horâ confuetâ, nonâ nempe matutinâ rediit, & inde quidem ad meridiem ufque nec calore, nec frigore, nec tremore, fed vehementiffimis & ferme incredibilibus horroribus Ægrotantem afflixit. Inſpiratio & exſpiratio tunc temporis, etſi duplo quidem quam in prægreſſo hujus Tertianæ paroxyſmo breviores, etiamnum tamen pergrandes atque admodum diuturnæ fuere: Qualibet autem Cordis Syſtole dolor ejus multo quam ante major; & Corporis interna commotio atque perturbatio, etiamſi in præcedente ejuſdem Febris accessione, ut ſupra memoravimus, graviffi-

SECT. II.
De Tertianis duplicibus hoc Sale curatis.

SECT. II.
De Tertia-
nis dupli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

ma fuerit, nunc tamen duplo quidem infestior ex-
titit, adeo ut Æger isto trihorio tantum se inde
perpeffum existimaverit, quantum quidem aliquis
absque funesto eventu sustinere posset. Ipso vero
meridie sudor erupit, qui tam in hac, quam in
ea, quæ hâc nocte affuerat, prioris Tertianæ ac-
cessione, sive illius copiam, sive falsedinem, seu
denique Salis granula, eorumque multitudinem
spectaveris, prorsus ut ante sese habuit; in eo so-
lum discrepans, quod in utroque hoc paroxysmo,
uti & in sequentibus diutius etiam, quam in præ-
cedentibus persistit; siquidem in utraque acces-
sione sudoris tempora conjunctim computata 40
horarum spatium excefferint. Phlegmata interea,
uti antea, ita & in hisce, atque in sequentibus pa-
roxysmis omni Sale, quantum quidem gustu diju-
dicari poterat, orbata. Imo hæctenus in hoc mor-
bo Saliva non tantum non falsa fuit, ut supra no-
tavimus, sed & dulci ac simul nauseoso atque puti-
do ejusmodi sapore prædita, qualis præsertim in
corrupto piscium marinorum jecinore deprehendi
solet; unde quum continuo in os deflueret, conti-
nuam etiam ægrotanti molestiam peperit. Adhuc
nulla quidem Medicamina adhibita, si pauca Al-
calina, ut *Oculos Cancris*, *Testas Ostreorum* siccatas &
Nitri fixi duas tresve *drachmas* exceperis, quæ scili-
cet ab eo, quo morbus aggravescere cœpit, tem-
pore, absque ullo tamen effectu, usurpata fuere. Por-
ro finitis paroxysmi postremò memorati sudoribus
paulo post, consuetà ad vesperam horâ, tertia ab
ingravescente morbo prioris Tertianæ accessio recur-
rit,

rit, nec minus, quam secunda, sudorum abundantia, falsedine, atque diurnitate memorabilis extitit. Postridie vero mane, & horæ circiter spatio ante, quam hanc quidem Febrem posterioris Tertianæ paroxysmus exciperet, sumpsit *Æger Salem Ammoniacum* ad ʒi in aqua liquefactum; cujus scilicet usum huc usque distulerat, & quia de ipso morbi genere incertus, utrum hæc Febris ad continuarum remittentium, an verò ad intermittentium classem pertineret, hætenus ambegerat; & quia hic morbus adeo singularis de hujus Medicaminis effectu ei dubitationem & scrupulum injecerat; id quidem veritus, ne isti forte Sali, cujus tam prodigiosam in Corpore copiam sudores demonstraverant, tanta cum *Sale Ammoniaco* intercederet affinitas, quæ hujus vim eludere, atque ita effectum frustrari posset. Interea, ut solent esse vanæ atque fallaces de Medicaminum effectis opiniones, quotiescunque experientiæ non fuerint innixæ, tantum hic *Sal Ammoniacum* habuit successum, ut inde confestim admirabilis in morbo mutatio nata, atque illius impetus non tantum retusus, sed & fractus fuerit, ita quidem ut *Æger* haud alio ad eum penitus depellendum remedio indiguerit. Ut primum scilicet *Sal Ammoniacum* ab *Ægro* tante sumptum fuerat, mox illud in ventriculo operari, & quadrantis horæ spatio sese in totum abdomen diffundere, ibique adhuc per dimidiam circiter horam leniter admodum & absque ullo incommodo agere sensit: quo factò, etsi mox alter ille paroxysmus accesserit, confestim necopinato

SECT. II.
De Tertianis duplicibus hoc Sale curatis.

SECT. II.
De Tertianis duplicibus hoc Sale curatis.

70 OBSERV. DE SALIS AMMON.

putidum istum atque nauseosum Salivæ saporem majore ex parte correctum atque sublatum animadvertit; & præterea non sine admiratione tam celerem hujus Medicaminis successum deprehendit, ut hæc ipsa accessio mox inde levata eum primo illo trihorio, quo ante summâ violentiâ sævierat, nunc quidem duplo saltem minus afflictaverit; etiamsi sudores hoc tempore secuti nec copiâ, nec falsedine quam ante minore profluxerint, neque citius desinentes, in posterum omnino diem & quidem in pomeridianum tempus perstiterint; & denique non sine stupore tam admirabilem ejusdem Medicaminis virtutem expertus est, ut hujus posterioris Tertianæ Morbus (cujus ea, quam modo memoravimus, accessio fuerat) etsi gravissimus plane, atque modo in summo vigore tantum non Ægrotanti exitium afferre visus, mox tamen ab hoc ipso tempore protinus extinctus & funditus extirpatus fuerit; atque ita tantæ ac tam prodigiosæ Salium morbidorum atque minacium copiæ affinis tamen & cognati *Ammoniaci* Salis exiguo solum pulvere tam celeriter everse atque fugatæ extiterint. O profunda, ô admirabilia rerum naturalium mysteria, ô cæcas hominum mentes, qui in hisce quanto minus ingenio pollent, tanto plus ei tribuunt, atque abditas rerum naturalium causas & arcanos illarum nexus sibi ubicunque patescere putant, & hinc fastu turgidi atque elati experimenta despiciunt, & levibus potius atque jejunis ratiunculis in tanta rerum caligine morborum curationes superstruunt: sed è diverticulo in viam.

Nec

Nec solum Salis Ammoniacy efficacitas ad posteriorem, ad quam depellendam sumptum fuerat, sed & ad priorem Tertianam abigendam contulit. Hujus enim accessio ad vesperam, quum paulo ante ultimus alterius Tertianæ paroxysmus desierat, reversa, minus quam antea vehemens extitit; quamvis sudores simili sese ratione habuerint, nec multo minore copiâ profluxerint: exinde porro fractis jam ejus viribus bis tantum rediit, & ita quidem, ut singulis vicibus, ipsis etiam sudoribus maxime imminutis, vehementer decreverit, atque tum ægrotantem prorsus dereliquerit. Illo autem octiduo, quo Æger Febres hæc gravissimas expertus est, corpus maxime extenuatum, & plus quam 25 librarum pondere imminutum habuit; viribus adeo consumptis, ut nisi ab alio sustentatus ne paucissimis quidem passibus progredi valeret. Eodemque temporis circuitu copiosissimis illis, queis tunc diffluxerat, sudoribus plures *Salis* istius supra memorati *libras* à se per cutim fuisse excretas sibi, perito admodum Geometræ, certo certius constare retulit. Maximopere vero doluit, quum ob sudoris vehementiam in gravioribus illis paroxysmis ne corpus quidem commovere fuisset ausus, sibi non licuisse aliquam illius Salis copiam colligere, ut postmodum, qualis ei indoles esset, & quænam inter illud & cognitas aliorum Salium species vel convenientia & affinitas, vel differentia intercederet, chymicis experimentis, inquirere & explorare posset; neque se magis crystallorum ex hoc Sale concretarum figuras in promptu intueri potuisse, quum

præ

SECT. II.
De Tertianis duplicibus hoc Sale curatis.

SECT. II.
De Tertia-
nis dupli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

præ summa morbi violentia tunc temporis neque candelæ neque diei lucem oculis ulla ratione perferre valuisset. Morbo nunc curatus sese ita quidem viribus exhaustum repperit, ut etiamsi cibos satis appeteret atque rite concoqueret, tamen non nisi lentè admodum refici potuerit; quippe qui 14 dierum spatio præ imbecillitate nondum è cubiculo egredi sustinuerit, nec ante principium *Decembris* majorem ponderis amissi partem recuperaverit; tunc temporis adhuc pallidâ atque fuscâ remanente facie. Itidem depulsâ Febre in lumbis, artubusque superioribus, ast præsertim inferioribus, mordaci adeo atque molesto cutis pruritu affectus est, ut illum sæpe ferre non posset, quin quidem ad sanguinis profluvium usque cutim in cruribus scalpendo laceraret, etsi cæteroquin recte valeret; quod tamen symptoma circa *Decembris* initium valde minui cœpit, atque deinceps penitus evanuit. Cum autem hic Fratris charissimi morbus insolitis adeo phænomenis stipatus extiterit, rem forte curiosis non ingratham præstitero, si hic paucis tantum ea adjecero, quæ in ejus constitutione & victu singularia fuerint, præsertim, quum horum nonnulla ad hunc fortasse morbum generandum concurrerint. Is itaque, cum juvenis Lugduni Batavorum studiis operam daret, atque illuc ex Transsalaria per *Sinum Maris australem* contenderet, ut nauseæ atque ægritudinis ex motu navis ortæ molestiam minueret, tota quidem nocte in aëre aperto, etsi cœlo maxime nebuloso, commoratus, inde Asthma contraxit, cujus accessiones duarum triumve & quando-

doque sex septemve hebdomadarum spatio, atque ita incertis passim intervallis, recurrentes biduo vel triduo ægrotantem affligere solebant; ita quidem, ut sedens spiritum tardum, & gravem, ac cum ingenti sæpe stertore conjunctum difficulter admodum duceret, & nonnunquam phlegmata, declinante vero morbo crebriora, excerneret; in intermissionibus autem nulla omnino respirandi difficultate laboraret. Et gravis hic Morbus eum ultra viginti annos, immo ad mortem usque, comitatus est. Victus vero tum quidem ejusmodi fuit. Vix unquam Sale & paucis quoque Salsamentis, rarius Acidis utebatur. Vinum ne quidem gustabat; quippe quo exiguâ licet quantitate sumpto se ægrotare, & interdum Asthmatis accessione corripitur expertus fuerat; nullus etiam vel spirituum ardentium vel cerevisiæ usus. Solus ipsi potus infusio *Theæ* vel *Coffe*, illa quidem rarius, hæc vero quotidie, & tantâ equidem copiâ, ut Pulveris Fabarum *Coffe* unciam ter singulis diebus, mane scilicet, post meridiem, & vesperi una vel altera post coenam hora, consumeret. Hæc ipsâ hujus anni æstate, uti sibi compertum retulit, *transpiratio* ipsi multo quam superioribus annis parcior extiterat, & phlegmata, quæ in ipso postea morbo Sale destituta, tunc temporis solito falsiora fuerant. Hic autem morbus nullam omnino Asthmati jam inveterato mutationem attulit, ast malum hoc deinceps illum quidem, ut ante, infestare perstitit. Biennio vero atque semestri spatio exinde elapso, quum *Vollenbovæ* tempore verno Febres ardentes ac contagiosæ & quidem

SECT. II.
De Terti-
nis dupli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

SECT. II.
De Tertia-
nis dupli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

acutissimæ vehementer grassarentur, atque ipse quamplurimos istiusmodi Febre correptos frequenter visitasset, in eundem morbum incidit, atque inde paucissimorum dierum spatio decessit.

Casus 24.

OBSERVATIO II.

Ao. 1702.

Filiolus Consulis Stenovicensis duodecimo circiter ætatis anno, quum tempore æstivo se cujuscunque generis pomis, ut *cerasis*, *prunis*, *malis*, *piris*, &c. avidius ingurgitasset, XI *Septembris* Tertianæ correptus est; at quadriduo post rursus inde curatus, sumpto tantum unico *Pulvere Febrifugo* nobis usitato, atque ex aromatibus calidis parato. Tum vero, ut pueri solent, ad pristinum victum rediit, atque inde brevi in similem atque graviolem morbum recidit. Cum enim XXIX *Septembris*. per aliquot horas in aëre ventoso incessisset, post meridiem domum reversus est, atque leviter ægrotare visus. Postridie vero ad meridiem in Febrim solitis intermittentis indicibus stipatam, & septima fere vespertina decedentem incidit. I *Octobr.* nova post meridiem accessio rediit, & posteriore quidem multò mitior, ita ut, etsi non decumberet, eam tamen haud difficulter toleraret. Postero vero die jam ante decimam matutinam languere, brachia extendere, oscitare, ac de nonnullo capitis dolore conqueri cœpit; quamobrem, quum forte præsens hæc prænuncia Febris jam imminentis indicia cernerem, Tertianam duplicem, & nunc graviolem illius accessionem veritus, confestim memorati *Pulveris febrifugi* dosim ei præbui;

&

& paulo post rigor & frigus, etiamsi membris externè calentibus, cum pulsu contracto & accelerato succedere, atque ille accedente lumborum dolore adeo quidem ægrotare cœpit, ut mox decumbere atque lectum petere coactus fuerit. III *Octobr.* circa decimam matutinam redeunte Febre itidem istius *Pulveris* aliquantulum datum: hæc autem prioris Tertianæ accessio, uti quidem hætenus, ita nunc quoque levis admodum extitit, & tribus tantum horis elapsis decessit. Postridie ejus diei gravior Tertianæ posterioris accessio eadem hora recurrit, ast non ante quartam pomeridianam desinit. v *Oct.*, quum ex hoc *Pulvere febrifugo* nullum hætenus fructum tulisset, atque ulteriorem illius usum aspernaretur, circa decimam matutinam *Salem Ammoniacum* ad zi in vino dissolutum hausit, & prioris Tertianæ paroxysmus tunc temporis non rediit. Postero vero die, cum ad eandem horam Tertianæ posterioris accessio reverteretur, confestim eandem *Salis Ammoniaci* dosin repetiit, & tunc hanc Febrim multò quam ante leviolem, ac horâ tertiâ pomeridianâ decedentem, expertus est. VII *Oct.* nulla Febris, ast aliqua tantum interna Corporis commotio adfuit, & postridie ejus diei posterioris Tertianæ paroxysmus consueto quidem tempore recurrit, ast novissima quoque Febre multo mitior tribus tantummodo horis perstitit. Quare, quum jam alterius Tertianæ paroxysmi cessarent, alterius vero maximopere decrescerent, fractæ à Sale Ammoniaco visæ morbi vires, atque inde sanitatis celerrimè recuperandæ spes affulsit. Ast

SECT. II.
De Tertianis duplicibus hoc Sale curatis.

SECT. II.
De Tertia-
nis dupli-
cibus hoc
Sale cura-
tis.

spem fefellit eventus. IX etenim *Octobr.*, quo die prior & mitior Tertianæ, si perstitisset, ex pristino ordine reversa fuisset, ægrotantem inopinatò gravior paroxysmus afflixit, sive id ex victus errore, sin vero aliunde acciderit; postero vero die nulla Febris rediit, ast aliqua tantum Corporis interna perturbatio adfuit. XI *Oct.* ita, ut ante biduum, gravior accessio recurrit, atque media secunda postmeridiana exorsa, ad mediam circiter octavam defuit. Postridie vero rursus, ut ante, nullus quidem paroxysmus, ast eadem interna Corporis commotio reversa. Quamobrem, quum XIII *Oct.* ipso meridie graviolem accessionem rursus adventantem adverteret, potionem ex *Sale Ammoniaco* ad ℥iv in aqua liquefacto confestim ebibit, tanta tamen cum averfatione, ut illius deinde partem rursus evomuerit. Paroxysmus interim, ut ante, 6 horas perstitit. Postero iterum die ad quartam postmeridianam levis tantum, ut supra, Corporis commotio extitit. xv *Oct.*, quum Febris pertinacioris tædio dati medicaminis effectum non opperirer, atque hora prima imminentis paroxysmi indicia cernerem, rursus *Pulveris febrifugi* supra memorati dosin ægrotanti præbui; ast superatâ jamdum à Sale Ammoniaco morbi efficaciam non solum levior tunc Febris accessio reversa, tribus tantum horis affect; sed & exinde Puer nullâ amplius Febre tentatus, omni tandem morbo penitus depulso, convalevit,

S E C T I O III.

Quæ de *Quotidianis Sale Ammoniaco curatis*
Observationes IV continet.

Art. I. *In quo Observationes II de Quotidiana unâ tantummodo Salis Ammoniaci dosi curata.*

O B S E R V A T I O I.

Casus 25.

Puella, quæ, cum XVI circiter annos haberet, fluxum menstruum nondum experta fuerat (etsi Soror ejus gemella corporis mole & formâ simillimâ illud naturæ tributum jam tum aliquoties solverat) atque pomorum avidissima huic appetitui hâc ipsâ æstate liberrime indulserat, v *Decembr.* in Febrem incidit, cujus paroxysmi cum frigore accedentes quotidie recurrunt; appetitu interea non tantum integro, sed & solito magis adaucto. XIII *Decembr.*, & porro deinceps paroxysmi quotidie non semel, ut ante, ægrotantem afficere, ast multiplicati bis terve & inordinatè reverti cœperunt, attamen cum frigore semper adventare & cum sudore decedere. Ita nempe XIX *Decembr.*, quo me tempore consuluit, noctu Febris cum frigore accesserat, & secuto deinde calore ac tandem erumpente sudore desierat; porro ante meridiem alter, & post meridiem tertius paroxysmus, uterque priori plane similis, recurrerat. Ægra vero de ejusmo-

SECT. III.
De Quoti-
dianis hoc
Sale cura-
tis.

di lumborum dolore, ac si corpus eò loci cingulo quodam vehementer constrictum gereret, invadentibus paroxysmis, conqueritur, deinde vero illis progressis, capitis dolore præsertim affligitur. Appetitum, quem antea validiorem habuit, nunc solito remissiorem experitur; suo tamen alvus officio fungitur. Proximâ nocte, redeunte paroxysmo, ex nostro præscripto *Salem Ammoniacum* ad zi in cerevisia dilutum hausit, atque inde citissimè convaluit. Tam admirabilis enim ejus operatio extitit, ut vis integra morbi mox prorsus oppressa penitusque deleta fuerit, atque ita post hanc accessionem nulla omnino Febris deinde reverterit.

Casus 26.

OBSERVATIO II.

AO. 1702.

Puerpera XI fere dierum, XII *Decembris* circa meridiem, Febre intermittente cœpit affici, cujus paroxysmi cum frigore, tremore, maxillæ inferioris concussione &c. accedentes indies statò 28 horarum circuitu recurrunt. Huic malo alterum, alvi nempe profluvium, accessit. Cum vero XV *Decembr.* quartus Febris paroxysmus hora 12^{ma} nocturna rediret, vicina quædam mulier Pulverem ei febrifugum ex *Salis Ammoniaci* zi confectum, atque antè à me acceptum præbuit; cujus tantus quidem successus extitit, ut hæc ipsa accessio multum levata, neque altera postea reversa fuerit. Exinde itidem altero atque tertio labente die, *Lacte* cum *Cinamomo* cocto, in quo candens omnino *Chalybs* extinctus erat, sæpe sumpto Diarrhœam compe-

pescuit : unde nunc lætam fanitatis propinquæ
 spes magna tenuit. Verum, ut fluxa mortalium
 fortuna, deinde cuncta subito conversa. Cum ete-
 nim ei deinceps cerevisiam recentem & potum
 quendam ex melle paratum darent, in diarrhœam
 subito recidit, atque graviter ægrotare cœpit.
 Quare, quum appetitu prorsus abolito morbus in-
 dies ingravesceret, *xxi Decembr.* ad vesperam tan-
 dem, rebus jam desperatis, accersitus, repperi æ-
 grotantem pulsu vehementer accelerato, & per-
 quam debili, continuâ febre laborantem, & viri-
 bus exhaustam, ac de doloribus in toto quidem
 abdomine, quod & tumefactum retulit, præfer-
 tim vero in latere dextro, conquerentem : alvi excre-
 menta, quæ hodie diminuto jam profluvio semel
 tantum dejecerat, gravissime foetentia : urina ru-
 bescentis & flammei coloris : oculi (& jam à bi-
 duo, ut ajebant) collapsi. Quibus rite perpensis
 Ægram in extremo vitæ discrimine versari dixi,
 attamen, ut illi satisfacerem, aliquod pro re nata
 remedium præscripsi. Interea vero, cum hoc pa-
 raretur, cuncta continuo ac celeriter in pejus ver-
 gere, atque circa decimam vespertinam ægra defice-
 re visa; & quamvis paullo post rediret animus,
 pulsus tamen continuo decrescens, lingua & fau-
 ces aridæ, vox jam dificiens, oculi rigentes, haud du-
 bia dedere mortis hora prima nocturna subsequen-
 tis præfagia.

SECT. III.
 De Quoti-
 dianis hoc
 Sale cura-
 tis.

SECT. III.
De Quoti-
dianis hoc
Sale cura-
tis.

Art. II. *In quo Observationes II de Quotidiana duabus Salis Ammoniaci dosibus curata; quarum posterior Febrim, quæ prius unicâ fere dosi depulsa, ac deinde reversa fuerat, exhibet.*

Casus 27.

OBSERVATIO I.

No. 1702.

Adolescens annos duodeviginti natus & sartoris opificium exercens, III Octobris horâ octavâ matutinâ Febre corripitur, cujus adventus molesto in genibus sensu, quibus communi sartorum more quotidie inflexis sedere solet, primo sese prodidit; deinde frigore integram ferme horam infesto, tum æstu, cephalalgia, & cæteris consuetis hujus morbi malis, nullo tamen dorsi lumborumque dolore, ad vesperam usque ægrotantem exercuit. IV Oct. 22 horarum circuitu, atque ita horâ sextâ matutinâ, altera accessio priori plane similis reversa. V Oct. pari quoque temporis intervallo, horâ nempe quartâ matutinâ, similis omnino Febris tertio recurrit, at ad quintam pomeridianam iterum decessit. Alvus interea naturalis; appetitus vero usque adeo abolitus, ut toto hoc triduo vix quidpiam comederit. VI Oct., quum ad horam quartam nocturnam anxietatem aliquam cum tremore conjunctam adverteret, Febrim adventantem ratus, de nostro consilio *Salis Ammoniaci* zi in cerevisia tepida dissolutam hausit; ast paroxysmus, perinde ac si hoc Medicamine repulsus atque dimotus foret, opperientem frustratus, haud ante octavam matutinam prodiit; & jamtum à celerrima Salis opera-
ti-

tione retusus non tantum levius afflixit, sed & plus quam duplo minore temporis spatio perstitit, atque jam ad primam pomeridianam decessit. VII *Oct.*, quum Febris aliquot rursus horis citius recurreret, eandem *Salis Ammoniaci* dosin repetiit, atque in levem & priori similem paroxysmum incidit. Ast VIII *Oct.* accessio multò quoque, quam ante, levior reversa; & postridie nulla quidem Febris, at quædam tantum interna Corporis commotio accessit; atque ab eo tempore, Febre penitus depulsâ, convaluit.

SECT. III.
De Quotidianis hoc Sale curatis.

OBSERVATIO II.

Casus 28.

Puella octavo & decimo vitæ anno fluxum menstruum nondum experta, in Febrem intermittentem incidit, cujus accessiones indies hora duodecima recurrunt, nec ullo quidem symptomate infestius, quam lumborum crurumque dolore, ægrotantem affligunt. Hoc morbo per duas ferme septimanas implicata XI *Novembris* nostrâ sibi ope medicinam adhibendam petiit, atque semihora ante duodecimam præscriptum *Salem Ammoniacum* ad ℥iv in aqua dilutum sumere tentavit, ast præ medicaminum averfatione id non nisi difficulter admodum, & ut postea mihi retulit, ex parte tantum haurire potuit: interea tamen paroxysmus mox inde, ut videbatur, dimotus non nisi mediâ secundâ Puellam corripuit. *Postridie* sub novæ accessionis adventum eandem *Salis Ammoniaci* dosin repetiit, at simili, ut ante, fastidio illius rursus

Ao. 1702.

SECT. III.
De Quoti-
dianis hoc
Sale cura-
tis.

partem vomitu rejecit. Adeo, ut *Ægra*, etsi quidem hætenus bis *Salem* sumpserit, vix tamen dosis unius quantitatem rite retinuerit. Nihilominus morbus inde per aliquod tempus valde levari, imo fere cessare visus est. 1v *Novembr.* etenim hora tertia pomeridiana Febris cum minore tremore ac multo levior rediit; & quamvis postridie quidem gravior reversa fuerit, deinceps tamen indies valde levata recurrit; donec xiii *ejusdem mensis*, quum alvi fluxus unà cum ventris torminibus conjunctus accesserat, Febris vehementer decreverit, atque ita tandem penitus desierit. Quum vero tam exigua Salis Ammoniaci dosis huic morbo quidem opprimendo, non vero penitus eradicando suffecisset, is per aliquod tempus delituisse visus resurgere, atque cum gravi lumborum dolore indies recurrere cœpit. Hinc xv *Decembr.* nostro consilio *Salis Ammoniaci* ℥iiss, Febre adveniente, sumpsit, eodemque tempore eandem *postridie* dosin repetiit. xvii *Decembr.* paroxysmus, ast multo, quam ante, levior rediit; & *postero die*, simili recurrente Febre *Salis Ammoniaci* rursus usum & quidem ad ℥iv iteravit: attamen xix *Decembr.*, etsi nulla accessio cum frigore, horrore, vel tremore redierit, se tamen satis ægrotasse conquesta fuit. Quamobrem tardatâ fluxus menstrui eruptione febrim foveri ratus, ad illam promovendam, & hujus simul fomitem extirpandum postero die sequens Medicamen parari jussi.

℞ *Rad. Gentianæ, Zedoariæ, Dictamni Cre-*
tici an. ʒiii.
Lign. Colubrimi ʒß.

Herb.

*Herb. Menthæ, Artemisiæ, Sabinae,
Cardui benedicti an Miß.*

Summ. Absinthii, Centaurii minoris an P. ij.

Bacc. Juniperi ꝑi. Cubebarum ꝑii.

SECT. III.
De Quoti-
dianis hoc
Sale cura-
tis.

Hæc concisa & contusa, ut sumptibus parcere-
tur, non in vino infusa, sed in cerevisia tenuiore
decocta fuere, residuis *iv Colaturæ libris*, de qua
mane & vesperi ꝑiii *Ægrotanti* offerendæ. Verum
jam tum à *Sale Ammoniaco* adeo fractæ fuere morbi
vires, ut ab hoc ipso die *Febris* admodum indies
decrescere cœperit, & *xxviii ejusdem mensis Æ-*
grotantem penitus dereliquerit.

CLASSIS II.

quâ continentur

Observationes nonnullæ

de

Tertianis & Quotidianis Intermittentibus

S A L E A M M O N I A C O ,

partim manifesto dosis & methodi defectu, vel victus errore,

partim fortasse, vel quod mediocri dosi non suffecerit, vel quod virtute impar fuerit,

neutiquam curatis.

S E C T I O I.

Quæ de Tertianis Simplicibus & Quotidianis Sale Ammoniaco, vel dosis vel methodi defectu, vel victus errore, nequaquam curatis, Observationes VI continet.

Art. I. In quo Observationes IV de Tertiana Simplici unâ Salis Ammoniaci dosi neutiquam depulsa.

O B-

OBSERVATIO I.

Agricolæ cujusdam Uxor ab aliquo tempore Tertiana laborans, IV Aprilis Salis Ammoniaci à nobis præscripti z̄iſſ adventante paroxysmo sumpsit, aſt illius usum, ut quidem oportuerat, ne utiquam repetiit. Interim Febris, ut postmodum intellexi, huic uni Salis dosi cedere renuit, sed spre- tis ejus viribus, adhuc prius, quam discesserit, menstruo circiter spatio perſtitit.

SECT. I.
De Salis
usu ob do-
sis, metho-
di, aut vi-
ctus defe-
ctum irrito.
Cajus 29.
Ao. 1703.

OBSERVATIO II.

Mercator pene sexagenarius & in Tertianam im- plicitus, à nobis consilium atque huic malo reme- dium petiit. Is tres jam Febris accessiones sustine- rat, quæ primò eum frigore, deinde calore, & capitis lumborumque dolore, cæterisque consue- tis huic morbo molestiis infestaverant, quarumque novissima XI Septembr. post meridiem recurrens per 6 circiter horas ægrotantem afflixerat. Ex nostro igitur præcepto XII Sept., quamprimum paroxys- mum imminentem advertit, Salem Ammoniacum ad z̄iſſ in aqua dissolutum sumpsit; at nequaquam eo die diminuta, sed aggravata visa Febris. Quam- obrem homo harum rerum rudis & ignarus proti- nus omnem successus spem abjecit, & proinde proxima accessione medicaminis usum ne utiquam repetiit. Atque ita Febris, ut ante perseveravit, donec XIX Sept. Vini absinthitis ℥̄ss, Oleo Olivarum

Cajus 30.

Ao. 1703.

SECT. I.
De Salis u-
fu ob dosis,
methodi,
aut victus
defectum
irrito.

ad ζ ij affuso, paulo ante Febris adventum hau-
ferit, atque hujus Medicaminis ope ab hoc morbo
liberatus extiterit.

Hoc tamen vulgi remedium tanti non est, ut
cuiquam ejus usum commendandum putem. Adeo
enim nauseosum est, ut ei sumendo & retinendo
pauci pares reperiantur: & deinde in eo, qui ejus
usum insequitur, paroxysmo gravissima passim æ-
gritudo febricitantem afficit: & denique incertus
admodum ejus eventus, quum id, etsi interdum
Febrem abigat, sæpe tamen, uti quidem compe-
ri, successu careat.

Casus 31.

OBSERVATIO III.

Ao. 1703.

Opulenti cujusdam Mercatoris Uxor, annum
ætatis agens quartum & trigesimum, XIV *Septembr.*
ab urbe profecta, quum Filiolam, quam secum
duxerat, vermibus laborantem repente motibus E-
pilepticis afflictatam vidisset, inde vehementer ex-
territa atque perculsa mox exiguâ naviculâ trium
quatuorve horarum itinere, in aere aperto & tunc
quidem frigidiore domum contendit, atque ab eo
tempore appetitum abolitum primum valetudinis
labantis indicium animadvertit. XIX *Septembr.* post
meridiem internâ atque horrificâ commotione per
membra vagante corripitur, quæ unâ cum horro-
re & frigore subinde conjuncta non in noctem so-
lummodo, sed & in posterum omnino diem persti-
tit; ita tamen, ut quoties igni assideret, mox in-
calesceret, pariterque sudore maderet; donec tunc
tem-

temporis post meridiem tantum non egressa in aërem apertum, mox vehementi horrore atque tremore concuteretur: quamobrem celeriter ad focum reversa, ibidem intus frigens, extus calens, porro lumborum, omniūque fere membrorum, & paulo post capitis etiam dolore cœpit affici, parumper interim accelerato pulsu, atque ita ex Febricula laborare, quæ post horam unam alteramve in sudorem desiit, atque unà cum eo decessit. XXI I *Sept.* prope meridiem iterum interna atque horrida commotione corpus simili ratione pervagante, & cum frigore vehementi in lumborum regione conjuncta affligitur, eoque ipso tempore, quod animadversione dignissimum judico, saporem usque adeo mutatum habuit, ut pruna dulcia, quæ ei ante semihoram gustu pergrata apparuerant, nunc ferme insipida, immo & ingrata viderentur. Quum vero hæc Febris invadentis indicia sentiret, confestim id, quod ei præscripseram, *Sal Ammoniacum* ad ℥iv haussit, & mox deinde æstu, lumborum dolore, cæterisque Febris incommodis laborare cœpit: paroxysmus tamen neutiquam gravis extitit. XXIV *Sept.* mediâ decimâ matutinâ, dirâ atque terribili facie Febris cum acri frigore, horrore, tremore, dentium crepitu, oris & corporis totius concussionem, nec faciei tantum, sed & labiorum tetro pallore, pulsu interim accelerato, at valde contracto & quasi sepulto, repente adeo necopinato invasit, ut *Ægra Sal Ammoniacum*, tunc prius in tepida liquandum, haud tempestivè sumere potuerit: quo tamen, ut potuit, hausto, mox inde calo-

SECT. I.
De Salis usu
ob dosis,
methodi,
aut victus
defectum
irrito.

SECT. I.
De Salis u-
su ob do-
lis, metho-
di, aut vi-
ctus defe-
ctum irrito.

lorem in ventriculo productum, & hinc prognatas frigoris & horroris inducias sensit: etsi hæc symptomata deinde majore cum vehementia reversa ad mediam usque duodecimam persistierint; cum interea semihora ante, quam frigus desineret, Ægra gravi anxietate & nausæa obortâ, rursus *Sal Ammoniacum*, & *Potum Coffe* unâ cum eo sumptum vomitu reddiderit: porro æstu cæterisque malis Febris afflixit, & ad octavam vespertinam desit. xxvi *Sept.*, quum totam noctem capitis & lumborum dolore vexata fuisset, mane hora media octava longè quidem gravissima febris ægrotantem corripuit; nam membris externe quoque frigentibus algor, horror, dentium crepitus, oris & corporis tremor ac concussio illam multo etiam, quam ante, vehementius affligerunt: itidem in ipso frigoris initio capitis lumborumque dolor admodum exacerbatus extitit, qui antea non nisi cum æstu accedere consueverat. Post semihoram, etsi de frigore conqueri persisteret, cutis externè calefcere cœpit; & *Potum Coffe* eo tempore haustum paulo post iterum vomitu rejecit: tum vero sensim superiores corporis partes, deinde inferiores, & ultimo pedes, hora circiter ab initio paroxysmi elapsa, incalescere sensit; & pulsus continuo magis magisque accelerari atque sese expandere orsus; inde brevi tam acer evasit æstus, ut vix quispiam manus contactum sine molestia tolerare posset: gravissimus interea capitis lumborumque dolor, & continuum ferme delirium: hora vero decima magis quiescere atque
æstus

æstus mitescere cœpit: paulo post meridiem sudor erupit, ac denique ad septimam vespertinam unà cum Febre desiit. Tum quidem & Febris violentia ter- ritus, ac propterea nihil ultra differendum ratus, & ne *Sal Ammoniacum* vomitu iterum exturbaretur, veritus, mox ei *Corticis Peruviani* ℥i in 8 *Pulveres* di- visam per intervalla præbere jussi; à cujus usu in diarrhœam incidit, & 6 *Pulveribus* consumptis, XXVIII *Septembr.* (quum nocte prægressa fluxus ei menstruus erupisset) nullam quidem Febrim recur- rentem advertit, ast caput toto solummodo die gravatum habuit; & porro feliciter præscripti me- dicaminis reliquiis usa convaluit.

SECT. I.
De Salis
u/u ob do-
sis, me-
thodi, aut
victus de-
fectum ir-
rito.

OBSERVATIO IV.

Casus 32.

Mulier ad triginta circiter annos nata, cui ante aliquot menses foetum enixæ tunc temporis lochio- rum & postea mensium fluxus exiguâ admodum copiâ prodierat, ex Tertiana laborare cœpit; cu- jus quatuor accessiones perpeffa me consuluit, at- inde XIII *Februarii*, cum quintum paroxysmum recurrentem adverteret, *Salem Ammoniacum* ad ziß in aqua liquefactum hausit. Nihilominus xv *Febr.* ejusdem Medicaminis iterandi oblita in pa- roxysmum vehementem incidit, atque inde nostri Salis viribus diffusa mox aliud à me remedium pe- tiit. Tum vero præscriptis vi *Chinæ Chinæ drach- mis* mox hinc prostrata penitusque depulsa Febris discessit.

Ao. 1702.

SECT. I.
De Salis
usu ob do-
sis, me-
thodi, aut
victus de-
fectum ir-
rito.
Casus 33.

Art. II. *In quo unica Observatio de Tertiana Simplici, à Sale Ammoniaco, methodi defectu, non nisi post adjunctum Vim Medicati usum depulsa.*

OBSERVATIO I.

Ao. 1703.

Filius Mercatoris xxiv *Aprilis*, quum octo cir-
citer annos complevisset, male se habere cœpit,
ita quidem, ut præ ægritudine decumbere cogere-
tur. Postridie vero recte rursus valuit. xxvi *A-*
prilis ad meridiem recurrens ægritudo sese manife-
stam Tertianæ sobolem prodidit, quippe quæ cum
frigore & rigore invaserit, & deinde æstu cæteris-
que molestiis hunc morbum comitari solitis ægro-
tantem afflixerit. xxviii *Aprilis*, Æger paulo an-
te Febris accessum *Sal Ammoniacum* ad ʒi in aqua
liquefactum & sibi oblatum ex parte sumpsit, re-
liquum respuit; atque tum Febrim sat gravem su-
stinuit. Sed xxx *Aprilis* stato paroxysmi tempore
nullam quidem Febrim, ast aliquem solummodo
torporem ac somnolentiam sensit. Verum enim ve-
ro ab hujus medicaminis dosi tam imperfecta, nec,
ut oportuerat, iterata, dimota solum, non vero de-
pulsa visa Febris; siquidem postridie, i nempe
Maji, turbato jam recurrendi ordine, consuetâ ta-
men horâ, duodecimâ scilicet, pergravis redierit,
atque reditus sui tarditatem majore rursus violen-
tiâ compensaverit, ita quidem, ut Æger jam in-
cipiente frigore delirare cœperit: mature tamen,

ve-

vespere scilicet ingratus hic & perodiosus decessit hospes. III *Maji* quum pristinâ paroxysmus horâ reverteret, sine mora *Sal Ammoniacum* ad ℥iijss ab Ægrotante ritè fuit sumptum: inde elapso horæ quadrante horrores & tremores desierunt, & mitis porro Febris extitit. v vero *Maji*, denuo neglecto *Salis* usu, vehemens iterum accessio recurrit. VII *Maji* paulo ante meridiem oblatam rursus eandem *Salis Ammoniaci* dosin in potione dissolutam averfatus æger illius tantum pauxillulum hausit: attamen vix ulla vel saltem non nisi levissima Febris secuta, ac Puer eo tempore non ægrotare sed tantum somnolentiâ affici visus. IX *Maji*, etsi priore paulo gravior, levis tamen paroxysmus accessit. Neque mirum profecto, quod hæctenus Febris *Salis Ammoniaci* virtute non fuerit depulsa: primæ etenim & vix dimidiæ dosis effectus fuit jam ante penitus extinctus, quam quidem ei altera successerit; nec huic aliquod in tantula & prorsus contemnenda *Salis* quantitate non nisi quatrinduo post usurpata subsidium esse potuit; adeo ut unica illa dosis suam in morbo tantopere levando vitutem fatis equidem prodiderit, etsi illi penitus extirpando neutiquam suffecerit. Octiduo ergo ab illius usu elapso, XI nempe *Maji*, Febris resectis non tantum viribus sed & adauctis atrox rursus & vehemens in scenam rediit, immo & exinde duplicata quotidie recurrit: ægrotanti quoque appetitum sustulit, eumque nonnunquam nausæ & vomitus molestiis afflixit. Quare tandem XXI *Maji* de ejusmodi *Vino Medicato*, ac in *Casu* 21 præ-

SECT. I.
De *Salis*
usu ob do-
sis, me-
thodi, aut
victus de-
fectum ir-
rito.

SECT. I.
De Salis
usu ob do-
fis, me-
thodi, aut
victus de-
fectum ir-
rito.

scriptum fuerat, post meridiem horæ circiter spatio ante Febris accessum ℥iij usurpare cœpit, quod tamen post semihoram ex parte rursus vomitu rejecit: nulla interim Febris, at sola eo tempore somnolentia secuta. Vesperè ergo rursus ℥iis, & postridie mane ℥iij Vini Medicati sumpsit, atque inde multo quam pridie vegetior extitit. Porro & hoc ipso die & biduo inde secuto pari Vini copiâ iisdem rursus Herbis affusâ per intervalla & quidem ter quaterve de die fuit usus, Febre interim immunis, ac jam sanitatem recuperasse visus; in qua & probabiliter perseverasset, nisi victus errore recentem nec fatis confirmatam valetudinem turbasset. Cum enim xxvi Maji de capite *Porcino* comedisset, vesperè vehemens rursus paroxysmus recurrit; pariterque xxviii Maji rediit, tum vero discessit, ac deinceps Pueri valetudinem infestare desiit.

Art. III. *In quo unica Observatio de Quotidiana ex Tertiana prognata, à Sale Ammoniaco ob graves, ut videtur, in victu errores nequaquam curata.*

CAJUS 34.

OBSERVATIO I.

Ao. 1703. Famulus Affinis mei, Bataviæ ex Parentibus Indis genitus, & viginti ferme annos natus, xviii Maji in Febrim intermittentem incidit, quæ porro xx, nec non xxii ejusdem mensis die, atque ita bidui circuitu rediit, tum vero tridui interpositâ mo-

morâ non nisi xxv *Maji* revertit. In hujus autem accessionis initio *Salem Ammoniacum* ad ʒiv gr. v haufit, ac poſtridie recurrente paroxyſmo ejuſdem *Salis* uſum & quidem ʒij pondere repetiit. Nihilominus Febris inde non depulſa indies ægrum accedere perſtitit. Ergo ei *Salis Ammoniaci* ad ʒiſ præſcripti uſum iterandum injunxi: illudque Æger xxxi *Maji*, quum noctu paroxyſmus invaderet, à ſe quidem præſtitum, deinde tamen ſe adhuc per aliquod temporis ſpatium Febre vexatum retulit. Aſt ejus Dominus, cui fraudulentum & vaſerrimum ignavi juvenis ingenium perſpectum, vehementer dubitavit, & an quidem, ut præ ſe fert, ultimam Medicaminis doſin ſumpſerit, & an jam à morbo relictus ſe non diutius febricitare ſimulaverit, ut ſic vitam magis deſidem atque otioſam agere liceret; id ſaltem ſibi compertum memoravit, Ægrum ab eo quidem tempore, quo Sale Ammoniaco uti cœpit, maxime inordinatam victus rationem habuiſſe, eumque ſingulis paroxyſmis ſe ingenti frigida & cereviſiæ copia ingurgitare conſueviſſe. Non itaque mirum, ſi tantis in victu erroribus *Salis Ammoniaci* ſucceſſus extiterit irritus.

SECT. I.
De Salis
uſu ob do-
ſis, metho-
di, aut vi-
ctus defe-
ctum irritum.

SECT. II.
De solita
Salis dosi
incertis
de causis
irrita.

S E C T I O II.

Quæ de *Tertianis* tam *Simplicibus*, quam *Multiplicibus* & *Inordinatis*, Sale Ammoniacico, sive quod mediocri dosi non suffecerit, sive quod virtute impar extiterit, neutiquam curatis, *Observationes IV* continet.

Art. I. *In quo Observationes III de Tertianâ Simplicî duabus Salis Ammoniâci dosibus neutiquam depulsa.*

Casus 35.

O B S E R V A T I O I.

Ao. 1703. Centurio annum agens septimum atque trigessimum, XVI Febr. in Holsatia Febre ardente corripitur; ex qua fractis omnino viribus, non nisi cum summo vitæ periculo evasit. Hinc quum vix in publicum prodiret, in Tertianam incidit, à qua curatus navi in Hollandiam tendit, atque in itinere, vegeto magis appetitu, cibus durioribus avidius usus, quum alii haberi non poterant, in Tertianam recidit. Ab hoc ope *Corticis Peruviani* à Medico in Transsalaria præscripti iterum curatur, etsi depulsa Febre haud quidem perfecte convaluerit,

rit, sed artuum dolores cum infestare perstiterint. Donec x vel xii dierum intervallo idem morbus tertio recurreret, & quidem adeo vehemens, ut ejus paroxysmi non nisi 17 horarum circuitu finirentur. xxx *Maji*, quum tertia accessione laboraret, valetudinis suae curam nostro consilio commisit. Simile ergo *Vinum Medicatum*, ac in *Casu 21*, at majore copia praescriptum, de quo extra paroxysmum ℥iij ter quotidie ab Aegrotante bibendae. Et porro i *Junii*, quum statim hora, quartam nempe matutinam, Febris recurreret, semihora ante ejus adventum potio ex *Sale Ammoniaco* ad ℥iβ in aqua liquefacto ab Aegro sumpta; nec successu carere visa, siquidem hic paroxysmus multo, quam ante, mitior extiterit. iii *Junii*, quum Aegrotantis absentiam Salis usus iterari non posset, hora consuetam Febris revertit priore gravior, & cum infesto capitis, lumborum, scapularum, omniumque artuum dolore ad nonam usque matutinam affligens. iv *Junii* paroxysmus multo brevior, quam antea, intervallo, ad mediam nonam vespertinam inopinatum recurrebat; unde *Haustus* ex *Salis Ammoniaci* ℥i, aliisque Salibus Febrifugis, & Medicamentis Sudoriferis compositus, quem horae spatio ante Febris reditum Aegro offerendum praeeperam, non nisi in ipso accessionis initio sumi potuit. Haec autem Febris primo unguium livore, atque notabili in digitorum extremitatibus stupore, tum gravi horrore ac tremore, nec non acri frigore aegrotantem concussit; qui stragulis copiosissimis tectus, cum frigus & caetera mala modo memorata desi-

SECT. II.
De folita
Salis dosi
incertis de
causis irrita.

SECT. II.
De solita
Salis dosi
incertis
de causa
irrita.

nerent, copiosè atque diu sudavit; at paroxysmum nihilominus sat gravem sustinuit. VI Junii ad meridiem pergravis accessio rediit; in cujus equidem initio tam vehemens tremor extitit, ut præ validiore maxillæ inferioris concussionem dentes ex mutuæ collisionis impetu dolerent. VIII Junii ad meridiem paroxysmus, ante cujus adventum jam *Corticis Chinæ Chinæ* ʒiʒ sumpserat, pergravis, ut ante, reversus: quo finito dimidia ejusdem *Corticis uncia* per intervalla data. X Junii Æger primò ante meridiem lumborum omniumque artuum dolore afflictus est, tum vero tempore consueto ipsâ Febre, ast multo nunc leviore, correptus. Deinde, cum hæc decesserat, tres rursus *Corticis drachmæ* ab ægrotante sumptæ: nihilominus XII Junii paroxysmus, etsi levissimus, rediit. Inde adhuc *duæ* ejusdem Medicaminis *drachmæ* usurpatæ, & tum demum pertinax hæc Febris Ægrotantem reliquit. Haud itaque mirum est, hanc, ut cæteræ quidem Tertianæ solent, duabus Salis Ammoniaci dosibus non fuisse depulsam, quum fere duplo majore Corticis dosi, quam quæ aliis abigendis sufficit, eguerit; ut taceam Salis Ammoniaci doses hic non continuis, ut quidem oportuerat, paroxysmis, sed quatruiduo demum interjecto, adhibitas fuisse. Porro ad recidivam præcavendam Ægro nunc curato præcepi, ut octiduo elapso *Corticis Peruviani* ʒiʒ quadripartitâ unius alteriusve diei spatio utatur, atque ejusdem medicaminis usum pari intervallo ter quaterve repetat. Verumenimvero, ut postea intellexi, quum, nondum inchoato
hoc

hoc *Corticis* usu, XIX *Junii* ex Transsalaria in Flan- Sect. II.
driam contendens, & ob militis cujusdam fu- De solita
gam irâ percitus, cum navicula latum propter Ge- Salis dosi
nemudam fluvium trajiceret, mox rursus in fe- incertis
brilem paroxysmum recidit, nondum valetudinis de causis
mirè vacillantis finem affecutus. irrita.

OBSERVATIO II.

Casus 36.

Nobilissimus quidam Adolefcens, staturæ ad- Ao. 1703.
modum proceræ, sexto & decimo ætatis anno &
Augusti XIV me de valetudine sua consulit, se jam
à 14 diebus in Tertianam implicitum referens, cu-
jus paroxysmi, nullo quidem capitis lumborum-
que dolore molesti, cum frigore ad semihoram fe-
re persistente, subinde citius subinde tardius re-
currunt, & cum sudore desinunt: nunc vero Ter-
tianam vel duplicatam vel in Quotidianam con-
versam videri: Febrem etenim, cum ante biduum
ad sextam vespertinam accessisset, heri vespere ad
undecimam rediisse: præterea, absente perinde ac
præsentem Febrem, sese vertigine affici, & tum maxi-
mè, cum decumbens consurgere conatur: appetitu
vero se hætenus vigere. Huic itaque *Salem Ammo-*
niacum ad Divß in aqua liquefactum sub ipsum pa-
roxysmi initium sumendum, atque idem medica-
men proximâ accessione recurrente iterandum præ-
cepi, & præterea ejusmodi *Vinum Medicatum*, ac
in *Casu* præcedente, atque simili ratione usurpan-
dum præscripsi. XXI. *Augusti* Ægroti Nobiliff.
Mater me per literas certiozem fecit, sumpto ra-
N tione

SECT. II.
De solita
Salis dosi
incertis
de causis
irrita.

tione memoratâ, *Ammoniaco Sale*, Febrim tamen neutiquam fuisse depulsam, ast duos deinde paroxysmos & quidem tribus quatuorve horis citius, quam antea, accedentes hætenus recurriffe, atque in horum posteriore *Ægrotantem* frigore finito in vomitum & quidem iteratum incidisse. Quamobrem ei *Corticis Peruviani* ℥i. in octo pulveres divisam misi; quibus consumptis Febris discessit, sed, quamvis appetitus plus solito vigeret, corporis tamen imbecillitas remansit. Hinc *Æger* post octiduum eandem *Corticis* dosin repetiit, atque ita penitus convaluit.

Casus 37.

OBSERVATIO III.

No. 1703.

I *Octobris* Tribunus militum mecum cognatione conjunctus petiit, ut ipsius Famulo ex *Tertiana* laboranti succurrerem. Is jam ætate provectior ante 5 septimanas hunc morbum in castris contraxerat, cujus paroxysmi cum frigore diuturno per unam alteramve horam persistente recurrunt. Ei ergo Salem Ammoniacum ad ℥iβ in aqua dilutum revertente Febre sumendum, atque idem Medicamen alterâ deinde accessione redeunte iterandum præcepi. Is autem, sive quod in victu erraverit, ut rudes istiusmodi homines facile solent, sive quod mediocris hæc dosi non suffecerit, me saltem octiduo elapso certiore fecit, se, etsi Medicamine præscripto rite fuerit usus, Febre tamen hætenus, ut ante, recurrente teneri. Tum vero præscripto *Peruviani Corticis* usu morbus ægrotantem

tem reliquit ; & cum octiduo elapso revertisset, eodem iterum Medicamine, unà cum Herbarum Febrifugarum Decocto in cerevisia factò, Febris prostrata, penitusque depulsa discessit.

SECT. II.
De solita
Salis dosi
incertis
de causis
irrita.

Art. II. *In quo unica Observatio de Tertiana in multiplicem & inordinatam conversa duabus Salis Ammoniaci dosibus neutiquam depulsa.*

OBSERVATIO. I.

Casus 33.

Puellæ octavum circiter ætatis annum gerenti, & jam à 14 diebus Febri intermittente correptæ, quæ primo alternis, deinde vero singulis diebus & quidem ter quaterve inordinatè revertit, VII Martii Salem Ammoniacum ad ʒi in aqua liquatum adventante Febre sumendum, atque eandem illius dosin postridie redeunte paroxysmo repetendam præscripsi. Verum enim vero successu caruit, atque opinionem fefellit Medicaminis eventus. Febris enim, ut Mater mihi retulit, sumpto Sali nequaquam cessit, nec indies exinde, etsi cum minore, quam antea, siti, recurrere desiit.

Mo. 1703.

A P P E N D I X.

qua continetur

Unica de Tertiana Observatio, in qua dubius aliquantulum extitit Salis Ammoniaci effectus.

Casus 39.

OBSERVATIO.

Ao. 1703.

Mercator macilentus jam fere quinquagenarius in Tertianam incidit, ac hujus septima accessione XVI Julii redeunte *Salem Ammoniacum* ad ziss in aqua liquefactum confestim hausit. Nec remedium effectum carere visum, siquidem ejus usum levior quam antea febris subsequuta fuerit. XVIII Julii eandem *Salis Ammoniaci* dosin iteravit, at sequentem rursum paroxysmum pergravem habuit. XX Julii omnibus prægressis gravior accessio revertit. Deinde vero quaque vice Febris, horis aliquot tardius recurrere, atque ita gradatim decrescere ac mitescere coepit, ut brevi non tantum Æger, etsi non decumberet, eam facile sustinuerit, sed & ipse morbus haud diu post extinctus penitus desierit.

F I N I S.

I N.



I N D E X

SECTIONUM & ARTICULORUM

I N

Observationes de Salis Ammoniaci
ad Febres intermittentes usu.

CLASSIS PRIMA.

Qua continentur Observationes XXVIII de Ter-
tianis & Quotidianis intermittentibus *Sale*
Ammoniaco feliciter curatis.

SECTIO I. *Quae de Tertianis Simplicibus Sale Am-*
moniaco curatis Observationes XXII continet.

Art. 1. *In quo Observationes VIII de Tertiana*
Simplici in Adultis unâ tantummodo Salis Am-
moniaci dosi curata. pag. 43

Art. 2. *In quo Observationes VIII de Tertiana*
Simplici in Adultis duplici Salis Ammoniaci dosi
curata. 48

Art. 3. *In quo Observationes IV de Tertiana Sim-*
plici in Impuberibus & Infantibus vel una, vel
duabus Salis Ammoniaci dosibus curata. 57

N 3

Art.

I N D E X

- Art. 4. *In quo Observationes II de Tertiana Simplicis in Adultis unâ vel alterâ Salis Ammoniaco dosi, adjuncto Vini Medicati usu, curata. 60*
- SECTIO II. *Quæ de Tertianis Duplicibus Sale Ammoniaco curatis Observationes II continet. 64*
- SECTIO III. *Quæ de Quotidianis Sale Ammoniaco curatis Observationes IV continet.*
- Art. 1. *In quo Observationes II de Quotidiana unâ tantummodo Salis Ammoniaco dosi curata. 77*
- Art. 2. *In quo Observationes II de Quotidiana duabus Salis Ammoniaco dosibus curata; quarum posterior Febrim, quæ prius unica fere dosi depulsa, ac deinde reversa fuerat, exhibet.*

CLASSIS SECUNDA.

Quâ continentur Observationes nonnullæ de Tertianis & Quotidianis intermittentibus Sale Ammoniaco, partim manifesto dosi & methodi defectu vel victus errore, partim fortasse, vel quod mediocri dosi non suffecerit, vel quod virtute impar fuerit, neutiquam curatis.

SECTIO I. *Quæ de Tertianis Simplicibus & Quotidianis Sale Ammoniaco, vel dosi vel methodi defectu, vel victus errore, nequaquam curatis Observationes VI continet.*

Art. 1. *In quo Observationes IV de Tertiana Simplicis*

I N D E X

plici unâ Salis Ammoniaci dosi neutiquam depulsa. 84

Art. 2. *In quo unica Observatio de Tertiana Simplicî à Sale Ammoniaco, methodi defectu, non nisi post adjunctum Vini Medicati usum depulsa.* 90

Art. 3. *In quo Observationes de Quotidiana ex Tertiana prognata à Sale Ammoniaco ob graves, ut videtur, in victu errores nequaquam depulsa.* 92

SECTIO II. *Quæ de Tertianis tam Simplicibus, quam Multiplicibus & Inordinatis, Sale Ammoniaco, sive quod mediocri dosi non suffecerit, sive quod virtute impar extiterit, neutiquam curatis Observationes IV continet.*

Art. 1. *In quo Observationes III de Tertiana Simplicî duabus Salis Ammoniaci dosibus neutiquam depulsa.* 94

Art. 2. *In quo unica Observatio de Tertiana in multiplicem & inordinatam conversa duabus Salis Ammoniaci dosibus neutiquam depulsa.* 99

A P P E N D I X

Qua continetur unica de Tertiana Observatio, in qua dubius aliquantulum extitit Salis Ammoniaci effectus. 100



E R R A T A.

- | Pag. | Lin. | |
|------|------|---|
| 30. | 24. | <i>Pro</i> elapsis 18 fere mensibus <i>lege</i> elapso
triennio atque insuper semestri spatio. |
| 61. | 8. | <i>Pro</i> szi <i>lege</i> zis. |
| 63. | 10. | <i>Pro</i> zii <i>lege</i> zij. |
| 63. | 14. | <i>Pro</i> Siliris <i>lege</i> Sileris. |
| 65. | 6. | <i>Pro</i> desineret, <i>lege</i> desineret. |
| 66. | 3. | <i>Pro</i> exspitationis <i>lege</i> exspirationis. |



Tabula exhibens effectus Salis Ammoniaci, seu mutationes illius usum in Febris Intermitte[n]tibus inde curatis subsecutas.

De hujus vero Tabulae usu monendum, primò, quod * *Salis Ammoniaci dosin ab Ægrotante sumptam* designat, & deinde, quod o *absentiam paroxysmi* denotat.

IN TERTIANIS SIMPLICIBUS

Paroxysmi post primam Salis Ammoniaci dosin ab Ægrotante sumptam secuti se, ut hic refertur, habuere.

Paroxysmi	Primus.	Dies in- termedius.	Secundus.	Dies in- termedius.	Tertius.	Dies in- termedius.	Quartus.	Dies in- termedius.	Quintus.
in Casu 1	* levissimus & tantum $\frac{1}{2}$ hora.		o		o		o		o
5	* multo levior.		o		o		o		o
6	* multo levior.		o		o		o		o
7	* levior & cum minore cephalalgia.		o levis capitis dolor.		o		o		o
1	* ut ante.		o		o		o		o
4	* ut ante.		o		o		o		o
8	* ut ante.		o		o		o		o
2	* febris brevior, calor & sitis major.		o aliquod caloris incrementum.		o		o		o
11	* febris vix ullum, cetera ut ante.		o levis alteratio.		o		o		o
14	* valde gravis.		* aliqua capitis dolor.		o		o		o
15	* multo gravior, quam ante.		* o		o		o		o
9	* multo levior.		* levis accessio.		o		o		o
10	* levis accessio.		* adhuc multo levior.		o		o		o
11	* gravis ut ante.		* gravis.		o		o		o
13	* multo gravior, quam ante.		* gravis, aut priore multo minor breviorque.		o levis horrox per $\frac{1}{2}$ hora.		o		o
16	* levior, quam ante.		* adhuc levior priore, & 3 tantum horarum.		o adhuc levior priore & tantum $\frac{1}{2}$ hora.		o aliqua capitis dolor.		o
21	* cum gravi praecordiorum anxietate.		o sine febre, cum sola siti & anxietate.		o levior cum anxietate minore, ut cum febre sine horrox.		o		o
12	* ut ante.		o levior.		o vel levis soluta commotio.		o		o
19	* ut ante.		o multo levior.		o levissimus.		o levissimus.		o
20	* brevior, quam ante.	o ut ante.	o	* ut ante.	o	o levis accessio.	o levis accessio.	o levis accessio.	o

IN QUOTIDIANIS

Paroxysmi post primam Salis Ammoniaci dosin ab Ægrotante sumptam secuti se, ut hic refertur, habuere.

Paroxysmi	Primus	Secundus	Tertius	Quartus	Quintus	Sextus
in Casu 10.	* multo levior.	o	o	o	o	o
25	* ut ante.	o	o	o	o	o
27	* levior & plus quam duplo brevior & 3 horis tantum invadens.	* priori similis.	o multo levior.	o aliqua tantum alteratio.	o	o
28	* post dimidiam dosin, $\frac{1}{2}$ hora tantum invadens.	* ut ante.	o multo levior.	o ut procedens.	o sine febre, horrox vel tremore, aut paulo gravior.	o & postea decrevit ac delit, aut postmodum rediit, ut linea sequens indicat.
23	* ut ante.	* ut ante.	o multo levior.	o ut procedens.	o sine febre, horrox vel tremore, aut paulo gravior.	o & postea indecrescit, atque sua discessit.

IN TERTIANIS DUPLICIBUS

Paroxysmi post primam Salis Ammoniaci dosin ab Ægrotante sumptam secuti se, ut hic refertur, habuere. Ubi advertendum, quod hic A unam & B alteram Tertianam denotat.

Paroxysmi	A Primus	B Primus	A Secundus	B Secundus	A Tertius	B Tertius	A Quartus	B Quartus	A Quintus	B Quintus.
in Casu 23.	* duplo levior.	o minus gravis.	o	o multo levior.	o	o levissimus.	o	o	o	o
24	* o	* multo levior.	o aliqua alteratio.	o adhuc multo levior & 3 tantum horarum.	o gravior accessio.	o aliqua alteratio.	o gravis ut ante.	o aliqua alteratio.	o ut ante.	o aliqua alteratio. Vide postea, †
			A Sextus	B Sextus	A Septimus	B septimus				
			† multo levior & 3 tantum horarum.	o	o	o &c.				

Exhibens...

De hinc vero Tribus...

ROYAL...

... ..

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

...

